ADMIRANDA LUTHERI TRIBUS EXPOSITA TRACTATIBUS.

IN PRIMO

Exponuntur & diſcutiuntur aliqua dicta & facta, Lutherum concernentia, quæ ab ejus Aſſeclis, inter Admiranda reponi Solent.

IN SECUNDO

Exponuntur verè Admiranda Lutheri mendacia, atque Convicia lata in SS. Patres, Sacra Concilia, S. Moyſen, & libros Scripturæ Sacræ. Itèm Admiranda ejus ſuperbia, & maledicentia.

IN TERTIO

Tractatu demum, admirandi errores contenti tum in Lutheri Doctrina, tum in ejuſdem Doctrinæ Confirmatione, tum in datis ab eo variorum Caſuum Reſolutionibus, exponuntur.

AUTHORE

PATRE GEORGIO GENGELL

Societatis JESU Theologo.

PRAGÆ, Typis Univerſit. Carolo-Ferdinandeæ, in Collegio Soc. JESU ad S. Clem. per Joachimum Joannem Kamenicky Factorem, Anno 1714.

S. Augustinus lib. 3. contra Julianum Pelagianum, cap. 3. *Mira sunt quæ dicitis, o Pelagiani* (o Lutherani de Luthero, ipséque Lutherus) *nova sunt, quæ dicitis: falsa sunt, quæ dicitis: mira stupemus, nova cavemus, falsa convincimus.*

ILLUSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO DOMINO DOMINO PETRO IN KCZEWO KCZEWSKI

PALATINO MARIÆBURGENSI, KISZPORENSI, STANISLAVOVIENSI, STRASZOVIENSI, STAROGARDENSI &c.

CAPITANEO.

DOMINO ET PATRONO FAVENTISSIMO.

ADmiranda Lutheri, ſcilicet uſque ad prodigium fœda in Cœlites jacta convicia, immaniúmque errorum portenta, damnanda tenebris, in lucem profero, ut extinguam. Inſcribo emendata vitiorum

 rum

rum monstra ILLUSTRISSIMO TUO NOMINI; *necesse enim est, ut videant sæcula, quantùm Orthodoxæ Fidei tenacissimus amor, Cœlitum profunda veneratio, & semper illustria Tuarum Virtutum sidera, noctes exhorreant ab hæresi Lutherana inductas. Discant singuli, quòd humeris etiam Tuis, Lechiæ sustinentibus Fortunam, securiùs innitatur Pietatis augustæ pompa, quàm Atlantis dorso cœlum incubuit. Noverint universi, quòd avitis Ceris, tam Honoris, quàm Virtutis Templum illustraveris. Quidquid in Illustrissima* PRZEBENDOWSCIORUM *Prosapia (cui opes, Fortunámq; suam concredidit Polonia) æstimamus; quidquid splendoris in Patria siderum, Illustrissima* CZAPSCIORUM *Domo, terris cœlóque affulget; quidquid in Florentissima* WEIERORUM *stirpe vernat gloriæ, Tuum est. Convolârunt Polonæ. Aquilæ ad manus Supremi Præsidis Cancellariæ Regni, & in paginas retulerunt, secuturísque ætatibus transmiserunt innumera Generis Eruditionísque Tuæ ornamenta. Non leve tunc pretium à Tuo calamo acceperunt Regni folia, gemmeósque pennæ Tuæ sudores, pluris æstimavit Polonus Orbis, quàm despumantis aurei Pactoli procellas. Jam quis recenseat, quomodo Sarmatiæ Proceres, ipsáque Majestas Polona, ab Ore Tuo pendebant, cùm Referendarium Regni ageres? Catenam è divite metallo Hercules Gallicus formaverit, aversas populorum aures, invitáque tracturus corda: Tu eloquiô plus quàm aureô facilè obsequentes rapuisti animos. Licèt verò exactiùs referres dicenda Principi, & Reipublicæ, nihilominus contra leges impositi muneris graviùs deliquisti, quòd Tua præclara Acta, silentiô præterires, omnium elogiis celebranda. Verùm etiam tacendo, pro se magnæ perorant Virtutes, abdentium se profundo, gemmarum pretium non reticent æquora, excitatis veluti in applausum fluctibus: invictam Herois manum, sonitus ferri prodit: taciturnum alioqui aurum, publica æstimatio commendat. Non secùs modestia*

Tua,

Tua, vocale exſtitit claßicum immortalium operum Tuorum, implevitque omnium aures Tui Nominis fama. Fortunatiùs Tuæ conſulturus Verecundiæ SERENISSIMUS POTENTISSIMUS REX AUGUSTUS II. *(qui magnas Civium Reipublicæ Virtutes paribus coronat præmiis) Mariæburgenſis Palatinatûs obtulit Purpuram. Vix Trabeam indueras, cùm ſubitò mœrorem deponere incœperunt, Opibus ſpoliatæ, variis laceratæ cladibus Provinciæ. Satisne iſtud? Regni Poloniarum Senator, muneris Tui eſſe non dubitas, perinde Lechicæ atque Catholicæ rei utilibus conſiliis mentem curáſque impendere. Non Te latet, quòd ſuam non amittant venuſtatem, Procerum purpuræ, ſive impalleſcunt evolvendis voluminibus, Regnorum felicitatem & infortunia Patriæ ſancita, bellorum eventus edocentibus, ſive faſtis avitæ Religionis dant operam. O Prußiæ, Sarmatiæque Procerum Gemmam, quam Balthidi gemmeus Hydaſpes, atque tumidum coralliis Erythræum pelagus meritò invideat! Jam æquitati plus quàm aureæ, qualis Te Supremum Poloni Areopagi Præſidem inſignierat, potuitne unquam par invenire pondus Regni Aſtræa? Nonne Te Supremo legum Arbitro, pretioſum nefas corrupta Judicum juſtitia ſuum etiam vocabulum amiſerat? Ibit in longas ætates, quòd Honoris Tui Scipione, ità ſuffulſeris Poloniæ Themidem, ut nunquam prolapſa fuerit. Tantus cùm eſſes, quidni* AUGUSTO II. REGI POLONIARUM POTENTISSIMO *placeres? quidni Principum Optimus in Cordis regiam Te admitteret? qui è conſvetudine bonitatis ſuæ, Optimos Cives tantâ proſequitur benevolentiâ, quam forſitan nec votô concipere audebant. Appellant Te plerique Epheſtionem Alexandri Poloni, & ipſemet livor emeritum non improbat Titulum. Neque iſtud in ultimis laudum reponendum eſt, quòd & ſanguinis, & perennium decorum connubio adlegeris Tibi* Illuſtriſſimam MARIANNAM, *ſuis adeptam virtutibus, nè*

Roma tantùm Lucretias & Cornelias pareret. Nec mirum, cùm genita sit ex Illustrissimo JOANNE KOS *Palatino Culmensi, summis virtutibus & naturæ dotibus conspicuo, cui similes non nisi raró & faventissima Regnis ætas, conferre solet. Adhæc, illam, nascendi felicitas, affusa Divorum Aris pietas, acclinis miserorum indigentiæ munificentia, luculenter probant, quidquid sub probitatis venit nomine, adhuc cum lacte suxisse ex* Illustrissima *Parente sua MARIANNA Palatina Culmensi æquè conspicuo Senatorio* de WOLFFIIS *ortu, atque conjugialibus* KOSSORUM *tædis inclyta; cui par Elogium subitó non reperient ingenia. Ob innatam sibi prudentiam, assiduum ferè Numinis cultum, recti studium, benevolentiam liberalitatémque insignem in* Minimam Societatem JESU, *vitæque Sanctimoniam non vulgare encomium sibi vendicat, nimirum: quòd Polonorum Bonæ, si illi conferantur, neque suum retineant nomen. Eodem felici nexu avitæ Stirpi Tuæ illigásti, naturæ, fortunæ, cœlique decora, quæcunque non nisi exornant* Illustrissimum & Reverendissimum JOSEPHUM KOS, *nuper Livoniæ Palatinum, hodie Culmensi Infulæ destinatum Præsulem: Præsulem inquam, Orbi extero longa sui desideria relicturum. Quamvis Astrorum Princeps illucescat terris absque ullo siderum comitatu, nimirum ex se nactus pompâ: nihilominus remotioribus terris exoriturus* SERENISSIMUS POLONIÆ & SAXONIÆ PRINCEPS FRIDERICUS AUGUSTUS *Gentiū deliciæ longúmq; populorū Votum eum sibi adjungere comitem voluit. Acceperunt Imperii Aquilæ non minùs gestiente vultu clarissimum utriusque Senatûs Lechici Astrum, quàm ubi solem intuentur. Amârunt Pectoris Præsulei illibatum candorem Franciæ Lilia; magnanimitatem Leo Venetus: eruditionem, vitæ integritatem, omnia, in sacerrimo Sapientissimóq; Antistite vicina Deo Majestas* CLEMENS XI. *laudavit. Verbo: non exigua Patriæ ornamenta è* KOSSORUM fluviis, *tanquam ex aureo Hermo in Te redundant* Illustrissime Palatine,

licèt

licèt ipſemet Tibi, & Polono Orbi, ampliſsimum ſis Decus. Æſtima Te igitur Procerum Illuſtriſſime, *atque ſublimioribus infer Curulibus, dignitatibus impertire, Orbémque imple Tuorum rectè factorum admiratione. Iſtud voveo: cùm nihil non magnum Tibi apprecari conveniat* Minimæ Societatis nomine, *magnis favoribus & beneficiis Tuis cumulatæ. Evexiſti ſupra multarum faſtigia Athenarum, Lycæa noſtra Gedanenſia, poſtquam maximæ Spei Filium,* JOANNEM, JOSEPHUM, IGNATIUM, AUGUSTUM, *quadruplici nomine inſignitum, & non niſì ad ſumma natum, iisdem commiſiſti erudiendum. Illuſtriſsimæ Proſapiæ, Virtutúmque Hæredi perpetuò inſtillamus, quod olim Vates Statius cecinit:* Aliis Decii reducéſqueCamilli monſtrentur, TU DISCE PATREM. *Relucentem in eo Magni Parentis Genium colimus, amorem literarum laudamus, comitatem, gravitatémque morum, quibus annos prævenit, admiramur. Conſervent diutiùs Superi carum terris & cœlo pignus, totámque* Illuſtriſſimam Domum Tuam, *etiam in Illuſtriſsimo* ANDREA KCZEWSKI *Succamerario Pomeraniæ, Mæcenate Gedanenſis Collegii inclyto, ac Patrono, ſortitam grandius Elogium, ſcilicet: quòd à Recti limitibus non recedat: conſervent inquam Reipublicæ commodis, & Honoribus,* Societatíſque *gratitudini, quam hujus Operis inſcribo fronti*

ILLUSTRISSIMO NOMINI TUO

Devinctiſſimus

GEORGIUS GENGELL
Societatis JEſu.

FACULTAS

R. P. Præpositi Provincialis Societatis JEsu per Poloniam.

Cùm Opus, quod inscribitur *Admiranda Lutheri*, à P. Georgio Gengell Societatis JESU Theologo conscriptum, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, potestate mihi facta ab Admodum R. P. Nostro Michaële Angelo Tamburino Societatis Nostræ Præposito Generali, facultatem concedo, ut Typis mandetur, si iis, ad quos pertinet, ità videbitur. Cujus rei gratiâ, has literas, manu mea firmatas, Sigillóque munitas dedi. Thorunii Die 23. Januarii Anno 1714.

L.S.

Raphaël Taczanowski.

PRO-

PROLOGUS.

POtentissimum & amplissimum Regnum Poloniæ, ex quo nomen Christo dedit, anno 965. nullum unquam habuit sui Principem, vel Regem, à Fide Orthodoxa alienum; quæ Prærogativa cæteris denegata Regnis. Nam (ùt scribit Thomas Bozius de signis Eccesiæ DEI lib. 8. cap. 2.) inter Hungaricos Reges, Ladislaus Chunnus à verò Christi cultu defecit: inter Bohemicos, Georgius Podiebradius: in Hispania, & Lusitania à principio Visigotho-Ariani regnârunt: in Gallia Chilpericus Sabellianus fuit: Romani Christiani Imperatores quidam Hæretici, vel Schismatici. Angli, Sveci, Dani cum Regibus suis in Calvinismum, vel Lutheranismum prolapsi: Soli Principes, & Reges Poloniæ, semper fuêre Catholici: Imò à multo tempore, Regnum hoc, in Illustrissimo & numerosissimo Senatorum Ordine, nullum patitur heterodoxum. Quia tamen ex viginti partibus Prænobilis Ordinis Equestris, è Classe itèm Civitatensium, & plebis ferè vigesima pars,

hæresi,

hæresi, vel schismate infecta est: insuper, quia in turbulento hodierno Regni statu, aliunde huc non exiguus numerus Bellatorum, quibus Lutherus vel Calvinus in pretio & corde est, confluere solet, Quæstionibúsque variis lacessere Catholices; operæ pretium duxi, Admiranda Lutheri (brevì post & Admiranda Zvinglii & Calvini, nec non Jansenismi) publicæ Luci exponere: quatenus Catholici in Fide Sancta magìs roborentur, & in promptu habeant Clypeos, ad retundendos impetus hostium, teláque eos feriendi; secutus Consilium San. Augustini svadentis & optantis lib. 1. de Trinit. cap. 3. ut ubi Hæreses sunt, quicunque aliqua scribendi facultate præditi sunt, scribant omnes, licèt eadem, aliis verbis fortasse scripturi; cùm non omnia, quæ ab omnibus conscribuntur, in omnium manus veniant. Nec deterruit me à scribendo; quod alii Longè meliùs similia, & copiosiùs etiam, tractaverint. *Non* enim *omnia* (utor verbis Beati Hildeberti in Epistola ad Henricum 1. Regem Angliæ) *contemnenda sunt*; *quibus multa reperiuntur meliora: ex aqua plures quam ex mulsò sitis ardorem extinxisse invenies.* Porrò noveris LECTOR BBNEVOLE, ex sedulò à me lectis vastis Voluminibus ipsiusmet Lutheri, ejus Textus in hoc Libro positos, esse desumptos, quorum multos, non diffiteor adeò inhonestos esse & conviciis execrandis refertos; ut honesta, & Sancta audire assvetis, ipsa lectione sua, vel auditione, horrorem quendam, & ruborem incutiant; eos tamen propalari censui expedire; ut veræ sanæque

næque doctrinæ Alumni Catholici; à placitis pravis Lutheri eò fortiùs arceantur, ac repellantur; majorique rubore (utinam ad pœnitentiam!) suffundantur Novatores, qui tantorum conviciorum & turpiloquiorum auctorem, Catholicæ Fidei fuisse Reformatorem, Antiquæ Apostolicæ Restauratorem, Virúmque eximiè Sanctum & probum prædicare non verentur. Colloquia-sympofiaca, seu Mensalia, quæ sæpè à me citantur, non quidem Lutherus ipsemet conscripsit: contenta tamen eorum, *ex Sancto Lutheri Ore* Loquentis, ùt scribit Aurifaber, annotârunt amicissimi ejus Discipuli & Prædicantes novem; inter quos fuit ipsemet Joannes Aurifaber, qui à viventis Lutheri latere vix unquam discessit: is, grande illud Volumen Colloquiorum, decem Nobilissimis Imperii Civitatibus, Lutheri Hæresi infectis dedicavit: & in Præfatione sua dedicatoria, postquam appellâsset Lutherum, summum Germaniæ Illuminatorem: Verum Moysen & Aaronem Germanorum, ex Ægypto deducendorum, verúmque Orbis Prophetam, subjicit: *Salvâ conscientiâ non potui ampliùs tantum thesaurum Colloquiorum Mensalium celare; & velut pretiosum talentum sudario involutum, abscondere: quare operam dedi, ut quàm primùm imprimerentur, impressitque, Ecclesia,* (Lutherana) *salubriter & salutariter, tanquam micis, de Mensa Lutheri delapsis, uteretur, famémque & sitim spiritualem hisce sedaret.* Hinc patet, quanto in pretio Liber Colloquiorum à Lutheri Asseclis habeatur, & haberi debeat.

Scio equidem à Lutheranis iis, qui plurimùm indurati ſunt, Librum hunc à me conſcriptum ægerrimè ferendum; & maledicta etiam horrenda, in me congerenda eſſe: Sed *Licèt hydra ſibilet* (verbis utor Sancti Hieronymi in Prologo Libri Eſdræ) *nunquam meum juvante Chriſto, ſilebit eloquium, eventilent apices, literas calumnientur: magis veſtra Charitate provocabor ad ſtudium ſcribendi*, (Orthodoxos alloquor; ſimplicitate itèm, nec non aliqua fallentis aſtutiæ calliditate deceptos, non autem ſtudiô & malitiâ errantes Heterodoxos) *quàm illorum detractione & odiô, deterrebor.* Hæcque ſcribens, & illa maledicta prævidens, *Aſpicio in Auctorem Fidei, & Conſummatorem JESUM.* ad Hæbros 12. *Qui cùm malediceretur, non maledicebat:* 1. Petri 2. dicebátque Diſcipulis ſuis. Lucæ 6. *Benedicite maledicentibus vobis, & Orate pro calumniantibus Vos. - & erit merces veſtra multa; & eritis Filii Altiſſimi.*

TRACTATUS PRIMUS.

Exponuntur & diſcutiuntur aliqua dicta & facta, Lutherum concernentia, quæ ab ejus aſſeclis, inter admiranda reponi ſolent.

CAPUT I.

ASſero primo Prophetia Joannis Huſs, quæ de Luthero eſſe facta, circumfertur: & inter Admiranda, à Lutheranis reponitur, eſt fictitia.

ANtequam id probem. Præmitto. Quòd Lutherus in ſua Gloſſa, ſuper Edictum Cæſareum, ſcribit verbis his. *Sanctus Joannes Huſſus de me vaticinatus eſt, cùm ſcriberet ex carcere ad Bohemos: Hodie aſſabunt anſerem (nam Huſs anſerem, in lingua Bohemica, ſignificat) Poſt centum verò annos, audient canentem Cygnum, hunc ferant, neceſſe erit.* Hanc Prophetiam Valtherus, Prædicans Saxonicus, repoſuit etiam in libro ſuo, cui titu-

Huſſi prophetia de Luthero, quæ circumfertur fictitia eſt.

titulus: Prophetiæ Doctoris Martini Lutheri, edito anno 1573.

Itèm Fridericus Balduinus, Olsnicensis Superintendens, & Vitebergensis Theologus, ac Doctor, ibidémque Professor, & Theologici Senatûs Exdecanus, in suo Hyperaspista Lutheri, paginâ 5. dicit: *Lutherum, ante duo fermè sæcula, veritatis Evangelicæ Restauratorem, & tantùm non Germaniæ Evangelistam, prædixerat Martyr Constantissimus Joannes Hussus.* Similia scripserunt alii Prædicantes Lutherani. Hoc præmisso.

Assertio nostra Probatur. Quia per annos 102. tot enim fluxerunt à morte Hussi, ad annum 1517. à quo anno, Lutherani, sui evangelii quinti, sæcularem annum numerârunt, nullus Auctor ostensus est, nec ostendi verè potest, nec ullus liber, in quo mentio aliqua habeatur hujus prædictionis: cùm tamen de vita, gestis, & dictis Hussi, etiam longè minoris momenti, tot Libri, per illos annos conscripti sint, & habeantur. Cùm ergo hæc prædictio careat congruæ Antiquitatis, & Auctoritatis testimoniô; meritò fictitia esse censetur. Celebre, & veritati consonum est illud Card: Baronii effatum: *Quod à Recentiore Auctore de rebus antiquis, sinè alicujus vetustioris Auctoritate, profertur, contemnitur.* Quídni pariter contemnatur, illud quod Lutherus, & ejus Prædicantes, sinè ullius vetustioris Auctoritate proferunt, de Prophetia Hussi? potiúsque dicatur, illa ab aliquo Prædicante, ad conciliandam aliquam gloriam Luthero, vel ab ipsomet Luthero superbissimo, & vanæ gloriæ cupidissimo conficta esse? Maximè cùm sciatur aliunde, Lutherum, falsificationis & mendaciorum toties esse convictum: Documenta hujus ipsius ex innumeris ferè, & præter infrà in Tractatu secundo capite primo enumeranda, innuo hæc: S. Paulus ad Rom: 3. vers. 20. scribit: *Arbitramur justificari hominem per fidem.* Lutherus addit: *solam:* quasi

Lutherus Falsificator Scripturæ Sacræ.

dicat

dicat Apoſtolus : Sola Fide, ſinè ullis operibus juſtificamur. Cúmque Amicus quidam hoc ei objiceret: Reſpondit (ùt eſt Tomo 4. operum German: Luther: Vitebergæ excuſorum anno 1551. fol: 475.) ità: *Doctor Martinus Lutherus vult ſic habere, & dicit, Papiſtam & aſinum, rem eſſe unam: ſic volo, ſic jubeo, ſit pro ratione voluntas. Nolumus enim Papiſtarum Scholares eſſe, ſed Judices. Lutherus ità vult, & ait ſe Doctorem ſuper omnes Doctores totius Papatûs.* Falſificavit itèm S. Petri textum. in illo enim 2. Petri 1. *Magìs ſatagite, ut per bona opera, certam veſtram vocationem & electionem faciatis* : dempſit ly *per bona opera.* Si Lutherus auſus eſt falſificare Scripturam Sacram, ut ſuam erroneam doctrinam de Juſtificatione ſtabiliret. Quidni ſaltèm probabile eſt, & illam Prophetiam ab ipſo eſſe confictam, ad gloriam aucupandam ? Accedit. Quòd(ùt refert Joannes Cochlæus, Decanus Francofordienſis, Vir magnæ pietatis & doctrinæ, in Actis Lutheri anni 1523.) à Quodam notata ſunt in uno Lutheri libro mendacia quinquaginta, & à Joan: Dietembergio in duabus duntaxat Confutationibus, convictus fuit mendaciorum 874. Lutherus.

CAPUT II.

ASſero ſecundò. Dato, non conceſſò, Prophetiam illam, non eſſe fictitiam: adhuc tamen incertum eſt, an illa Prophetia ſit de Luthero.

Prophetia Hußi, ſi eſt aliqua, potiùs eſt de alio, quàm de Luthero.

PRobatur. Quia non eſt major ratio, cur potiùs dicatur Huſs vaticinatus eſſe de Luthero, quàm de Carolſtadio, qui diverſam à Luthero excogitavit Hæreſim ; vel de Zvinglio, aut Calvino, vel Svenckfeldio : quo enim jure, Cygni nomine, denotari volunt Lutherani, ſuum Lutherum, eo jure, imò potiore, poſſent Calviniſtæ velle de-

notari ſuum Calvinum, aut Zvinglium. Cùm Calvinus & Zvinglius, addo, nec ferè ullus ex Hæreſiarchis veteribus, unquam habeat, tot ſordibus, ſpurcitiis, ſcommatibus, referta ſcripta ſua, utì Lutherus. Quæ ſi ex vaſtis aliàs, ejus voluminibus demas, vix quarta pars voluminum remaneret. ùt olim etiam notavit Eraſmus Libro ſecundo Hyperaſpiſtæ: qui Lutherum itèm alloquendo Lib: primo Hyperaſpiſtæ, non procul à folio 1032. inter alia ſic ſcribit: *Efficiam, ut omnes intelligant; quantus ſis Artifex Luthere, detorquendi, depravandi, calumniandi, exaggerandi quidlibet; quanquam iſtud, jam pridem agnoſcit Mundus. Ea tibi vafrities eſt, ut rectè dicta depraves, quoties eſt commodum: ut, quod album eſt, vertas in nigrum, quod Lucidum vertas in tenebras.*

Erasmi Judicium de Luthero.

Nota primò. Inaudii nuper à quodam Excellentiſſimo Colonello, olim Lutherano, nunc zeloſo jam Catholico D. Joanne Campenhauſen, inaudii inquam: à quibuſdam aſſeri Lutheranis, Prophetiam Huſſi eſſe de Luthero; quia in Stemmate ſuo habuit Cygnum: Sed contra eſt. Tum quia ex nullo ſcriptore, fide digno, probari poteſt, Lutherum, ante annum 1500. geſtâſſe pro Stemmate Cygnum. Tum quia ipſemet Lutherus citâſſet haud dubiè, hoc ipſum pro ſe in ſuis Libris; ſi id fuiſſet aliquomodo, vero conſonum: Jam autem ipſemet fatetur, ſe fuiſſe filium, Nepotem, Pronepotem ruſticorum, hi autem ſtemmata non ſolent habere.

Cygnus, an Stemma Lutheri?

Nota ſecundò. Melanthon in Apologia Confeſ: Auguſt: ſub titulo de Votis, refert. Quòd quidam Joannes Hiltenius Monachus, à ſuo ſodalitio ob reprehenſos quoſdam auſus, in carcerem conjectus, dixerit: ſe has injurias, æquô animô propter Chriſtum, tolerare; ſed alius, inquit, quidam veniet anno 1516. qui deſtruet vos, nec poteritis ei reſiſtere. De hac Prophetia, idem dicendum videtur; quod dixi Aſſertione prima & ſecunda, dicetúrque Aſſertione quar-

Prophetia cujuſdam Hiltenii.

ne quarta de Prophetia Joannis Huſſi. Accedit, Quòd Zvinglius, Anno 1516. Reformationem (veriùs deformationem.) Eccleſiarum Helveticarum, ſe auſpicatum eſſe gloriatur, nullum quidem adhuc rumorem de Luthero inaudiendo: unde, Zvingliani, poſſent jure potiori, hanc prædictionem (ſi quæ defactò fuit) Zvinglio ſuo applicare.

CAPUT III.

ASſero tamen tertiò Lutherus, ob duplicem præſertim rationem, convenit cum Cygno: & ob has rationes, poteſt vocari: Cygnus mirabilis.

Lutherus, in quonã convenit cum Cygno?

PRobatur. Quia convenit primò in hoc: quòd ſicut Cygnus habet candidas pennas, & nigras carnes; ſic & Lutherus. Quid ſæpè candidiùs Lutherô? quoties in libro Adversùs falsò dictum ſtatum Eccleſiaſticum: & in libro contra Henricum Regem Angliæ, jactitat, doctrinam ſuam, merum & purum eſſe Evangelium Chriſti, cujus ipſe teſtis futurus ſit in noviſſimo die. ſe certum eſſe: quòd doctrinam ſuam de Cælo habeat. Quòd doctrina ſua, non ſit ſua, ſed Chriſti. Quanta cum demiſſione adhuc anno 1518. die SS. Trinitatis, ad Leonem X. Papam In Præfatione in Reſolut: Indulgent: ſcribit, *Beatiſſime Patır, proſtratum me pedibus Beatitudinis tuæ, offero, cum omnibus, quæ ſum, habeo. Vivifica, occide, voca, revoca, approba, reproba, ùt placuerit. Vocem tuam, vocem Chriſti, in te præſidentis, & loquentis agnoſcam, ſi mortem merui, mortem non recuſabo. &c.* Et anno 1519. 13. Martii, ad eundem Leonem: *Pleniſſimè confiteor, Romanæ Eccleſiæ poteſtatem eſſe ſuper omnia; nec ei præferendum quidquam, ſive in Cælo, ſive in terra, præter unum Jeſum Chriſtum Dominum omnium &c.* Itèm Tomo 1. Epiſt. Epiſtola 166. *Scio Romanam Eccleſiam, puriſ-*

purissimum esse thalamum Christi, Matrem Ecclesiarum, Dominam Mundi, Sponsam Christi, Filiam Dei &c. Sed vide, quàm nigræ ejus carnes. Scribit ipse de se, Tomo primo. Epist: Lat: Epist: 229. ad suum Spalatinum, ex fictitia sua Pathmo. *Ego otiosus hìc, & crapulosus sedeo tota die.* Itèm in Epist: 234. ad Philipp: *Ego hìc insensatus, & induratus sedeo, in otio, proh dolor! parùm orans, nihil gemens pro Ecclesia Dei: quin carnis meæ indomitæ uror magnis ignibus. Summa: Qui fervere spiritu debeo, ferveo carne, libidine, pigritiâ, otiô, somnolentiâ: Octo jam dies sunt, quòd nihil scribo, neque oro, neque studeo; partim tentationibus carnis, partim aliâ molestiâ vexatus.* Postea, ter Sacrilegas (quia contractas à Sacerdote, Monacho Professo, cum Monacha Professa, Catharina Borrha) contraxit nuptias, & ex Sacrilego concubitu, habuit filios tres spurios, & tres filias. Quàm itèm impura, impia, sub umbra Evangelii, dogmata! *Si non vult Domina, veniat ancilla.* Tomo 5. Lat: Viteber: serm: de Matrimonio. *Liberum hominis arbitrium, est figmentum in rebus. In omni opere bono homo justus peccat.* In Assertione articuli 36. & articuli 31. & 32. *Nullum est amplius peccatum, nisì non credere.* In sermone super Evangel: Attendite à falsis Prophetis. Rectè Epist: in Pseudo-Evang: & ad Fratres Infer: German: scripsit Erasmus: *Vereor, ne sub isto Lutherani Evangelii nomine, multi nobis oriantur Pagani; quò magìs etiam sint liberi, si nec Cœlum credant esse, nec inferos, nec animas à morte corporis superesse: Qui tales sunt, sub nulla umbra tutiùs latere possunt; quàm sub istorum Evangelio.*

Leonem Papam Tomo 1. Lati: Viteberg: in disputatione illa in illud: Vade, vende thesi: 51. & alibi, appellavit postea brevì: *Antichristum, Vacarium Dei, Monstrum, de quo Daniel dicit, quòd adversatur omni Deo, etiam Deo Deorum; à dæmone arreptum, &c.* Romanam Ecclesiam vocat * *Antichristi Synagogam, Sodomæ colluviem &c.*

Secun-

Secundò convenit cum Cygno in hoc: Quòd ſicut Cygnus eſt inimicus Aquilæ, ſic Lutherus, inimiciſſimus fuit Principibus, Regibus, Imperatoríque Catholicis. Carolum V. victorioſiſſimum Imperatorem, vocat (Tomo ſecundo Lat: Viteb: Libello de duobus edictis Cæſareis) *Putre & fragile cadaver.* Itèm eum, & Principes Imperii ſibi non aſſentientes (nullus autem anno 1523. quô hæc evomebat Lutherus, ei aſſentiebatur, præter Electorem Saxoniæ) Dicit eſſe: *Vecordes, deliros, fatuos, mente captos, blaſphemos, atrociter contumelioſos in Divinam Majeſtatem, Tyrannos, Oppugnatores & Perſecutores Verbi Dei, horrenda cæcitate oppreſſos, tandem in exitium ruituros &c. Ferdinandus Rex* (inquit Lutherus Tomo primo Colloq: Lat: titulo de Principe) *nihil in ſe dignum Principe habuit, ſed ſervili ingeniô fuit. Rex* (inquit Lutherus Libro contra Regem Angliæ) *Henricus Angliæ, eſt Stolidior, & inſanior, quàm ipſa ſtultitia; Stolidus, mendax, in quo nec eſt una vena ſanguinis regii, cujus Majeſtatem cænô & ſordibus conſpurcare, & ipſius regiam dignitatem, pedibus conculcare, volo. Indignus qui mihi corrigiam calceamenti ſolvat.* Ducem Saxoniæ Georgium, Digniſſimum Principem, & Zeloziſſimum, ad mortem uſque, Orthodoxum, Friderici Fratrem palàm in ſuis ſcriptis proclamavit Lutherus, *Corporaliter à Dæmone obſideri, eſſe tyrannum, proditorem, Pilatum, Judam, Herodem, Apoſtolum Diaboli, Latronem ſanguinarium, canem, cujus omnia ſint diabolica, porcum Dresdenſem.* Epiſt: 239. Itèm Catholicum Principem Henricum Brunſvicenſem, vocat (in Colloq:) *rudem aſinum, ſuem, damnatum, mendacem, diabolum, ſtercus Diaboli, Filium dæmonis, indignum cujus recordetur Lutherus. Qui mille annis quærere debet, priùs quàm modicum pilum ſui honoris inveniat.* En quam infenſus hic Cygnus Aquilis! quàm ſvavis modulatio hujus Cygni! ſed quid mirùm, quòd tot, ac tanta ſint in ejus ſcriptis convitia, maledicta, virulentiæ, calumniæ, ſpurcitiæ, blaſphemiæ. Quid enim aliud (inquit Spondanus celeberrimus Hiſto-

ſtoricus) Diabolô plenus Lutherus, quàm diabolica effutiſſe potuit? nam quòd & nonnulla bona aliquando ſcripſit: an non & diabolo hoc in uſu eſt? ut incautos fallat. Cygnus, morti proximus, dicitur ſvaviter canere: juxta illud.

Dulcia defecta modulatur nomine lingua
Cantator cygnus funeris ipſe ſui.

Lutheri morientis quænam vox?

Sed dulciſonus cantus minimè convenit morituro Luthero. Is enim, anno 1546. 17. Febr: die, (ùt ſcribit Spondanus ad hunc annum,) cùm hilariter de more, atque opiparè, prandium, de nocte cœnam ſumpſiſſet Lutherus, evomuiſſetque, Jona, & aliis circumſtantibus, blaſphemiam hanc: *Doctor Jona, & Tu Michaël* (erat ille, Prædicans in Mansfeldt) *Orate pro Domino Deo noſtro, & ejus Evangelio, ut ei bene ſuccedat.* Doloribus preſſus, inter ſecundam & tertiam horam, poſt mediam noctem, ante ortam diei decimæ octavæ Lucem, anno ætatis ſuæ 63. fœdum ſpiritum exhalavit. Vicinus itèm morti, compoſuit, & in publicum, edidit Librum, cum tali titulo. *Adverſùs Papatum Romæ à Satana fundatum.* Hic liber, nihil aliud eſt. niſi continuus quidam in Papam furor belluinus, aut veriùs diabolicus: & quæ ſpurciſſimè contra Papam, Cardinales, Clerum, Religioſos, eo libro eructaverat, depingi voluit, quæ picturæ adeò ſunt abominandæ, ut multi etiam ex Lutheranis prudentioribus, earum aſpectu graviſſimè offenſi fuerint. Totúmque hoc contumeliarum infandum genus, ex potu vel ſenio, jam deliranti Luthero, aſſignandum exiſtimaverint: ùt teſtatur ipſe Illiricus Lutheranus, in libello, contra Interimiſtas; quamvìs ille longè aliter ſtatuat.

CAPUT IV.

Aſſero quarto. Dato, non conceſſo, quod Prophetia illa, ſit de Luthero: tamen non evincitur indè Lutherum non eſſe hæreticum. Pro-

PRobatur. Quia Huſs, non tantùm judiciô Eccleſiæ Catholicæ, ſed etiam judiciô ipſiuſmet Lutheri, fuit hæreticus; ùt oſtendetur infrà. Quid ergo juvat Lutherum Hæreticum, quod Hæreticus de eo venturo eſſet vaticinatus? Sybilla etiam Erythræa, longè ante prædixit adventum Arii: ùt ſcribit in Epiſt: ad Arium Conſtantinus Magnus: nunquid ideo Arius non Hæreticus? mala prædici poſſunt, quandoque & à malis.

CAPUT V.

ASſero quintò. Joannes Huſs, eſt falſus Propheta.

PRobatur. Tum quia Huſſitæ, & Lutherani, referunt: Huſſum, in die mortis ſuæ, dixiſſe Patribus Concilii Conſtantienſis. *Poſt centum annos, reſpondebitis Deo, & mihi*: Et tamen de hac reſponſione facta poſt centum annos, non conſtat. Tum quia ipſe Tomo 1. Operum. Epiſt: 12. ad ſuos ſcribendo, ait: *Fideles, & in Deo dilecti Chriſtiani, nè deterreamini illorum, qui in eo erant, latâ de libris meis ſententiâ; illi, huc & illuc diſpergentur, tanquam volantes papiliones; & eorum ſtatuta durabunt, ùt telæ aranearum.* Et en Catholicæ Eccleſiæ Cultores, qui Huſſum, unâ cum ſuis operibus damnârunt, minimè diſperſi ſunt velut papiliones: manet hucuſque decretum, vetans libros Huſſiticos: è contra volumina Huſſi vix alicubi reperiuntur.

Huſſum, falſum fuiſſe Prophetam, evincitur

CAPUT VI.

ASſero ſextò. Joannes Huſs non eſt Sanctus, nec verè eſt Chriſti Martyr.

Huſs nec Sanctus, nec Chriſti Martyr.

PRobatur. Ille non eſt Sanctus, nec verè Chriſti Mar-

tyr, qui eſt Hæreticus, ùt conceditur etiam à Lutheranis: & patet ex Scriptura. Si enim Apoſtolus ait ad Hebræos cap. 11. *ſinè fide* (utique recta, & à Deo data? hæc autem ſolùm una eſt, ſicut unus eſt Deus: Teſte eodem Apoſtolo) *impoſſibile eſt placere Deo.* Et juxta eundem Apoſtolum 1. ad Corinth: 13. Nihil prodeſt, ſi quis tradat etiam corpus ſuum, ità ut ardeat, charitatem autem non habeat: multò magis, veram fidem: quæ, ipſius Charitatis fundamentum eſt. Sed Huſs fuit Hæreticus. Tum quia pro tali habitus eſt â toto univerſali Concilio Conſtantienſi, Eccleſiam Orthodoxam repræſentante: & ob Hæreſim, rogo adjudicatus eſt ab eodem Concilio. *Eſſe Martyr non poteſt* (inquit S. Cyprianus Martyr) *qui in Eccleſia non eſt: ad regnum pervenire non poteſt; qui eam, quæ regnatura eſt, derelinquit*: Et S. Auguſtinus Lib: 1. contra Parmenianum Donatiſtam cap. ſeptimo. *Priùs probent, ſe non eſſe hæreticos, vel Schiſmaticos, tum demum de indignis pœnis ſuis, lividam emittant vocem: tum demum ſeſe audeant, cùm mali aliquid patiuntur, Veritatis Martyres dicere. Alioqui, ſi, quiſquis ab Imperatore, vel à Judicibus ab eo miſſis, pœnas luit, continuò Martyr eſt: omnes carceres, Martyribus pleni ſunt.* Et Tomo ſecundo Epiſt: 204. ad Donatum Presbyterum Donatiſtam ſcribit: *Forìs ab Eccleſia conſtitutus, & ſeparatus à compage unitatis, & vinculô charitatis, æternô ſuppliciô punieris, etiamſi pro Chriſti nomine vivus incendereris.* Martyr non eſt, qui deſeruit eam fidem, cujus olim defenſio, veros Martyres fecit. Tum quia idem Huſs docuit propoſitiones 45. ùt veras Joannis Vicleffi, defactò graviter erroneas: inter quas ſunt hæ:

Vicleffi Impiæ Propoſitiones.

Deus debet obedire diabolo.

Contra ſcripturam ſacram eſt, quòd Eccleſiaſtici habeant poſſeſſiones.

Populares poſſunt ad ſuum arbitrium Dominos delinquentes corrigere.

Omnes

Omnes ſunt Simoniaci, qui ſe obligant orare pro aliis, eis in temporalibus ſubvenientibus.

Oratio præſciti, nulli valet.

Omnia de neceſſitate abſoluta eveniunt.

Univerſitates, Studia, Collegia, Graduationes, & Magiſteria in eiſdem, ſunt vana gentilitate introducta; & tantum proſunt Eccleſiæ, ſicut diabolus.

Peccant fundantes Clauſtra; & ingredientes, ſunt viri diabolici.

Ditare Clerum, eſt contra Regulam Chriſti.

Juramenta, ſunt illicita, quæ fiunt ad roborandum humanos contractus, & commercia civilia.

Tum quia ipſemet Huſs docuit, ùt veras 30. Propoſitiones, defactò erroneas, inter quas, ſunt hæ:

Unica eſt Sancta Univerſalis Eccleſia, quæ eſt Prædeſtinatorum Univerſitas.

Paulus nunquam fuit membrum diaboli; licèt fecerit actus quoſdam, actibus Eccleſiæ malignantium conſimiles.

Præſciti, non ſunt partes Eccleſiæ.

Si homo eſt vitioſus, & agat quicquam, tunc agit vitiosè: & ſi eſt virtuoſus, & agat, tunc agit virtuosè: quia ſicut peccatum inficit univerſaliter omnes actus hominis vitioſi: ſic virtus vivificat omnes actus hominis virtuoſi.

Nullus eſt Dominus civilis, nullus eſt Prælatus, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali.

Confirmatur Aſſertio noſtra ſexta. Quia ipſe Lutherus, maximè initiò ſui evangelii; Huſſum, & Huſſitas aſſeruit eſſe Schiſmaticos & impios. Cùm enim in Diſputatione publica, Lipſiæ habitâ, anno 1519. eximius Doctor Catholicus, Joannes Eckius, Academiæ Ingolſtadienſis Pro-Cancellarius, doctrinâ & Eloquentiâ præpollens, Luthero ſtudium factionis Huſſiticæ, ſeu Bohemiæ objeciſſet; impatientiſſimè id ferens, eodem Anno 1519. quinta Julii, dixit: *Primùm, diluam contumeliam, quòd*

Judicium Lutheri de Huſſo & Huſſitis.

me, Egregius Dominus Doctor insimulat Bohemicæ factionis Studiosum, & planè Patronum: parcat ei Dominus, præsertim in tanta Corona tantorum virorum: Nunquam mihi placuit, nec in æternum placebit quodcunque Schisma. Iniquè faciunt Bohemi, quòd se Auctoritate propriâ separant à Nostra Unitate, etiamsi jus Divinum pro eis staret: cùm supremum jus Divinum sit Charitas, & Unitas Spiritûs. Et super Galatas cap. 6. scripsit: quòd Hussitarum dissidium, nullâ possit excusatione defendi, quin sit impium, & omnibus Christi legibus contrarium. Itèm ad Nobilitatem Germaniæ scribendo, cap. 24. præscribit modum, quomodo ad Unitatem Ecclesiæ, & in unam Fidem per Legatos nostros reducendi sunt Bohemi. Et in Assertione Articuli 30. dicit. *Non rectè vocant, qui me Hussitam appellant, non enim mecum ille sentit, sed si ille fuit hæreticus, ego plus decies hæreticus sum, cùm ille longè minora, & pauciora dixerit.* Demum in Mensal: Colloq: Titulo de Schol: Theologis ait; *Huss non intellexit quid sit Papatus, solùm aliquos abusus agnovit. Ille aliquas spinas, vepres ex vinea Christi ejecit, & tantùm Papæ abusus, & scandalosam vitam aggressus fuit. Sed ego Papæ doctrinam aggressus fui, & illum deturbavi.* Melanthon etiam in Epist: ad Philippenses, Vicleffum hominem amentem, & furiosum appellat. Proinde & Hussum sic appellare convenit, utpote furiosi Vicleffi sectatorem. Accedit, quòd Joannes Huss docuerit multa contraria Luthero. Tomo enim 1. folio 51. in Elucidatione suâ Fidei. Confirmat Invocationem Sanctorum. Epist: 35. multùm tenet de meritis Sanctorum. Tomo 2. ad Caput: 5. Epist: S. Jacobi folio 149. agnoscit septem Sacramenta. Et eodem Tomo sermon: de Exequiis: approbat Missam: docétque Corpus Christi esse ante sumptionem: hortatur itèm Sacerdotes, ut Missas devotè celebrent.

CA-

CAPUT VII.

ASſero ſeptimo, Prophetiam admirandam de tempore adventûs Lutheri, in Hymno Divi Ambroſii & Auguſtini contineri chronographicè, ſi quis aſſerat, errat.

PRæmitto. Quòd Lutherani, ante multos annos, ediderint Effigiem Lutheri, æri inciſam, cum hac inſcriptione: *Divinum, atque admirabile Vaticinium Divi Ambroſii & Auguſtini; de tempore, & adventu Sancti Lutheri, quo contra Antichriſtum Romanum ſcribere cœpit, ut in literis hujus verſiculi, numerum anni repræſentantibus, continetur, quod eſt apud Chriſti Fideles admiratione & notatu dignum.*

tIbI CherVbIn, & SeraphIn InCeſſabILI VoCe proCLaMant.

Hujus verſiculi, literæ numerales, conficiunt 1517. *quo primùm Domini Anno, Lutherus prædicare cœpit.* Et ob hanc Prædicationem, per illam Prophetiam, per numeros literarum inſinuatam, ſignificatur (inquiunt Lutherani) exultatio, & gratulatio Cæleſtium Spirituum. Hoc præmiſſo.

In Ambroſiano Hymno non continetur Vaticinium de Luthero.

Aſſertio Noſtra Probatur primò. Quia illo anno, 1517. nonnullos tantùm abuſus Indulgentiarum taxavit Lutherus. Sed necdum illo annô, Lutheranus erat Lutherus. Poſt editas enim pridie Feſti Omnium Sanctorum, de Indulgentiis Theſes, Miſſam ſequenti die, & aliis ſequentibus diebus Feſtis, illo anno celebravit, Euchariſtiam adoravit, Sanctos invocavit, ſeptem eſſe Sacramenta agnovit, & Papam eſſe Vicarium Chriſti, teſtatus eſt. Imò adhuc ipſo anno 1518. Dominica Sanctiſſimæ Trinitatis Die, ſcripſit ad Leonem. *Beatiſſime Pater, proſtratum me pedibus tuæ Beatitudinis offero &c.* Vide ſupra. Et poſtea coram Cardinali Cajetano, aliquótque Proceribus & Cæſaris Conſiliariis, ſcriptô & ore, Fidem ſuam

confeſſus eſt verbis his: *Ego Martinus Luther Auguſtinianus, proteſtor me colere, & ſequi Sanctam Romanam Eccleſiam, in omnibus meis dictis, & factis, præſentibus, præteritis, & futuris. Quòd ſi quid, contra vel aliter dictum fuit vel fuerit; pro non dicto haberi & habere volo.* Imò adhuc Anno 1519. tertia Martii, ſcripſit Epiſtolam ad Leonem Papam, in qua etiam continentur hæc: *Pleniſſimè &c.* vide ſupra. Ergo adhuc tunc Antichriſtum colebat, & idololatriam exercebat; cùm juxta Lutheranos, Antichriſtus ſit Papa, & Miſſa idololatria. Quomodo ergo Exultatio cæleſtium Spirituum facta, ratione anni 1517. ob Lutheri prædicationem? modò primùm Anno 1520. ſummi Pontificis poteſtatem, manifeſtè, & abſque ſimulationis involucris oppugnavit; & Jus canonicum, cujus legibus tenebatur reus, publicè, Vitebergæ exuſſit.

Probatur ſecundò. Tum quia juxta rationem Hebræam, ùt eſt, indubitatum, ſcribenda ſunt per M. non per N. Cherubim & Seraphim; & ſic provenient anni 3517. Tum quia ex hujusmodi Numeris nihil certi colligi poteſt; ùt conſtat longa inductione. Accedit quòd ille verſiculus deſumptus ſit ex Iſaiæ c. 6. verſu 6. Ubi Seraphim ſimili modo clamant: *Sanctus Sanctus Sanctus Dominus Deus Sabaoth*: Ibi autem deſignatur potiùs excæcatio Judæorum; ut ex verſu nono & ſequentibus colligitur. Provocatur enim Deus, ut aſpectu ſuæ Sanctitatis; quà illi omne ſcelus diſplicet, ſcelera & impietatem vindicet. Quare, ſi Lutherani volunt omnino annum Lutheranæ ſuæ Sectæ primum eſſe 1517. & chronoſticè deſignari illo verſiculô; debent conſequenter dicere, deſignari Lutheri & ejus ſequacium obcæcationem. Addo. Advertant Lutherani, indictionibus his: *Ero ſpIrItVs MenDaX*, contineri Annum 1517. dictámque Propoſitionem Chronographicam; verè convenire Luthero, ùt facilè patebit legenti librum hunc.

Pro-

Probatur tertiò. Quâ veri ſimilitudine dici poteſt exultare Cæleſtes Spiritus, ob Lutheri prædicationem & doctrinam? Cujus fructus, quàm ſint obominandi, & dolendi, ex parte deſcripſit Georgius, Dux Saxoniæ, æternâ memoriâ digniſſimus Princeps, Friderici Frater, in literis ſuis, ad Lutherum datis, anno 1526. ipſo Innocentium feſto: quæ exſtant Tomo tertio Jenenſi Germanico. *Ex tua* (inquit) *& tuorum Diſcipulorum doctrina, renovantur omnes antiquæ & jam olim damnatæ hæreſes, omnis cultus religioſus deſtruitur: ità, ut à temporibus Sergii (Socii Mahometis in cudenda & propaganda Mahometica perfidia) major deſtructio non fuerit. Quando plura commiſſa ſunt Sacrilegia, quàm ab evangelii tui ortu? quando plures ſeditiones contra legitimum Magiſtratum exortæ ſunt, quàm ex tuo evangelio? quando magis pauperes oppreſſi, & Sacræ ædes ſpoliatæ, & expilatæ? quando plura furta, & rapinæ commiſſa; quando plures Apoſtatæ Monachi, & Apoſtatrices Moniales, Vitebergæ fuêre, quàm modo? quando Maritis ablatæ ſunt uxores, aliiſque deſponſatæ, quàm nunc poſt natum tuum evangelium? quando plura adulteria patrata, quàm poſt tua ſcripta evulgata? ſi uxor à Marito ſuo fæcunda reddi nequeat, jubetur ire ad alium, fructúmque proferre, ſic tamen, ut prior Maritus, illam alat, eodémque jure gaudet Vir. hoc evangelio tuo acceptum referri debet, quod, ſub ſcamno abditum, protraxiſti in lucem — ad hæc, Vitebergam, feciſti aſylum, ità, ut omnes Apoſtatæ Monachi, & Apoſtatrices Moniales, qui noſtra templa, & Monaſteria rapiendo & furando expilant, ad te confugiant: perinde, ac ſi Viteberga, omnium ditionis noſtræ deſertorum, lupanar eſſet: Neque ullam unquam à Sanctiſſimo Patre noſtro Papa conceſſam indulgentiam arbitramur, quæ tibi gratior acciderit, illâ, quam promerentur tui Vitebergenſes, rapiendo Moniales ex noſtris Monaſteriis, & ad te adducendo: quas in quantas calamitates conjeceris, & in quod exitii baratrum præcipitaveris; & in quem finem &c.?* Addo: Quòd Lutheri doctrina ſternat viam ad Atheiſmum; ùt oſtendo in libro cui Titulus *Gradus ad Atheiſmum* in Tract. 2. c. 3.

Quinam fructus ex Lutheri Doctrina?

CA-

CAPUT VIII.

Assero octavo. Multæ sunt Prophetiæ, verè admirandæ, quæ intelligi possunt, sinè inconvenientia ulla, de Luthero esse.

Veræ Prophetiæ de Luthero, desumptæ ex Psalmis.

Probatur. Enumeratione Prophetiarum 1. Psalmo 79 *Exterminavit eam* (id est vineam Dei) *aper de Silva, & singularis ferus depastus est eam.* Lutherus enim (ùt explicat hanc Prophetiam Clarissimus Doctor Pistorius Epist. 3. ad Pappum) in Silva Hercinea editus in lucem fuit; & ùt aper vastavit, ùt sus sordidavit omnia. Et ùt originis, atque naturæ memoriam, testimoniùmque relinqueret; semper stercora, tum in ore & calamo continuit, tum magnis frustis vomuit in aërem & libros, ut ostenderet, apri & suis, ad se naturam attinere, perfectéque compleri Spiritûs Sancti vaticinationem: Calvinum autem; idem Propheta nuncupavit, singularem ferum,

Ex S. Paulo.

Secundo 2. ad Timotheum 3. scripsit S. Paulus. *Hoc autem scito, quòd in novissimis diebus, instabunt tempora periculosa: & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, sinè affectione* (seu, ùt vertit Sanctus Augustinus, & Anselmus, sinè visceribus compassionis) *incontinentes* (id est, gulosi, & luxuriosi) *sinè benignitate* (id est, bonorum osores) *protervi, tumidi, voluptatum magìs amatores, quàm Dei: habentes speciem quidem pietatis* (seu ùt S. Cyprianus legit. *Reformationem Religionis*, hoc est, ùt explicat Cornelius à Lapide, cum aliis: habentes formam & speciem Religionis, ut videantur ejus velle inducere reformationem; seque vocent: Reformatæ Religionis. cùm revera, ejusdem doformationem inducant, síntque deformatores *Virtutem autem ejus abnegantes.* Hic describit S. Paulus, Hæreticos, qui fidem & Virtutem Christianam eliminare volent:

lent: quales fuerunt, Simon, Menander, Carpocrates, Cerinthus, Gnoſtici &c. quibus adde, Lutherum, Calvinum, & alios.

Tertiò. Cardinalis Robertus Bellarminus è Societate JESU (ex quibus vocibus conſurgunt anagrammaticè hæc: *Luteri errores, ac aſtutias Calvini omnes delebis*) Tomo primo lib. 3. de Romano Pontifice, Cap. 23. & in Præfatione tomi 4. eleganter probat, Lutherum, ejúſque doctrinam, deſcriptam fuiſſe à S. Joanne, Apoc: cap. 9. quando vidit ſtellam cecidiſſe de cœlo, & datam ei clavem putei abyſſi, & aperuiſſe puteum abyſſi. *Quid enim aliud eſt, ſtellam de cœlo cadere; niſi hominem, cæleſti vitæ addictum à terra, longiſſimò intervallô remotum, ſacri cælibatûs, aut monaſticæ Profeſſionis ſplendore, & puritate micantem, ſubitò ad terrenas delicias, atque ad negotia hujus Mundi, delabi; mortali conjugiô, implicari; in carne & Sanguine volutari? Lutherum autem, quis tandem ignorat? cùm aliquando monaſticam vitam perfectam, pauperem, continentem, cæleſtem planè ac Divinam, in clariſſimo quodam Ordine profiteretur, repentino atque horribili caſu, ex Sacerdote Laicum, ex paupere divitem, ex continente Maritum, ex Monacho politicum factum? Monaſterium in palatium, pannoſam veſtem in ſericam, Victum ſobrium ac tenuem in opiparas cœnas & prandia commutâſſe? Denique, qui propter Chriſtum uxorem, liberos, agros nummóſque contempſerat; iterum propter uxorem & liberos, propter agros & nummos, Chriſtum reliquiſſe. Quia verò Lutherus præcipuum ſuum ſtudium, in Apoſtolica Sede oppugnanda poſiturus erat, séque Chriſti Vicario Antagoniſtam ſingularem profeſſurus: pulchre Joannes dicit: Stellæ de cœlo cadenti, clavem abyſſi datam: ità nimirum oportebat; ut ſicut Chriſtus Apoſtolo Petro, ejúſque Succeſſoribus, claves Regni cœlorum attribuit; ità etiam Satanas, cum Apoſtolo ſuo primario, clavem abyſſi communicaret: Et ſicut Petrus, cœleſti clave, Divina oracula reſerabat; ac populis ſibi creditis, doctrinam ſalutarem de cœlo adferebat; Sic Lutherus, abyſſi clave infernalem*

Ex Apocalypſi.

puteum aperiret, ac tetros indè errores antiquarum Hæresum colluviem, dogmata perniciosa tartareáque educeret.

Quartò Jacobus Gretserus, acerrimus Veritatis Defensor, Magnus Lutheranorum Domitor ait: Lutheri Hæresis, est mulier illa septicipiti & decicorni bestiæ insidens (quam S. Joannes vidit in Spiritu Apoc: 17.) poculum aureum, id est simulatum Dei verbum manu ostentans, plenum abominatione & immunditiâ fornicationis ejus: *Babylon* seu Confusio *magna, Mater fornicationum & abominationum terræ*: jungit enim Monachos & Sacerdotes monialibus aliisque pellicibus, & elata voce clamitat, Cælebs pugnat cum Deo. *Est ebria de sanguine Sanctorum & de Sanguine Martyrum JEsu*: plurimos occidendo. Ex hac tanquam ex genitrice sua, prodiit Calviniana Hæresis, quæ ùt pia filia, omnia latrocinia & homicidia Matris suæ in acceptis refert. Bestia, quà mulier hæc invehitur, est ipsemet Lutherus; quem septicipitem depinxit bene Cochlæus in suo libro cui titulus: Septiceps Lutherus. Bestia fuit voce & vitâ; ùt testantur ejus scripta bestialia & bruta. *Bestia, quam vidisti, fuit, & non est: & ascensura est de abysso* (ad Generale judicium) *& in interitum ibit* (audiet enim: Discedite à me) *& mirabuntur inhabitantes terram* (Lutherani) *quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ, à constitutione Mundi, videntes bestiam, quæ erat, & non est.*

Ex Vita B. Hildegardis.

Quintò. In ipsa etiam Germania (ùt scribit Florimundus lib. 1. cap. 3. & alii) Virgo Hildegardis, Divini interpres Numinis, vastitatem illam & desolationem, quæ Superiori, & nostra ætate Christianam Religionem tantopere afflixit, quasi digitô præmonstravit, dicens: Ah Misera Ecclesia! quid ages? quo te vertes? Mille Hæreses in te orientur, quibus resistere non poteris: ædes tuæ sacræ, atque adeò ipsa etiam sacra, profanabuntur. Principes contra te insurgent; populi contra te arma capient. Omniáque in ruinam

nam

nam tuam conſpirabunt. Cùm primi illi homines luxui & voluptatibus ſeſe dediſſent, Deus, aquarum eluvionibus, univerſam terram ſubmerſit: at quia ultimis ſæculis homines incredulitate, & quovis vento abripi ſe patientur; Deus Eccleſiam ab eis auferet. Omnia ejus ſcripta ejuſmodi minis plena ſunt, nec pænè aliud, quàm pœnas, vindictam, Stragem, & Eccleſiæ Catholicæ vaſtitatem repræſentant: Quæ tandem collectis viribus, (inquit eadem Virgo) eos, quos diabolus ad ipſam perſequendam vinculis exſolvit, catenâ rurſus conſtringet.

CAPUT IX.

ASſero Nono. Si quis aſſerat, Lutherum fuiſſe admirandum & Verum Orbis Prophetam, errat.

PRæmitto. Lutherum, â ſuis communiter nuncupari Germaniæ Verum, & admirandum Prophetam: Tertium Eliam: imò ipſemet de ſe dicit in Colloq: Symp: titulo de Libris Vet: Teſt: *Ego ſum Elias, & Philippus* (Melanthon) *eſt Jeremias.* Sed noſtra Aſſertio.

Prædictiones variæ Lutheri falſæ, recenſentur.

Probatur. Quia plurima veritati diſſona, hîc Pſeudo-Iſaias, & Pſeudo-Elias prædixit; ùt conſtat inductione longa. Nam (ut alias ejus falſas prædictiones omittam) Prædixit primò. Anno 1525. ùt refert Cochlæus. *Si* (inquit) *per biennium Doctrina & Prædicatio mea duraverit; evaneſcet Papa, Cardinales, Epiſcopi, Monachi, Moniales, Miſſæ &c.* Et En prædicavit poſtea, non duos, ſed ferè viginti duos annos: Obiit enim anno 1546. & tamen minimè evanuit Papa, Cardinales, Miſſæ &c.

Secundò. Fatidicus cecinit, & velut Epitaphium ſibi vivo (ùt ait Pomeranus, Lutheri Primarius Diſcipulus, in

Oratione funebri, in ejus Exequiis. Et Aurifaber in Mens: colloq: Tom: 1. prope finem) composuit: *Pestis eram vivens, moriens ero mors tua Papa.* Et in exordio libri contra Regem Angliæ scripsit. *Dogmata mea stabunt, & Papa cadet, invitis omnibus Portis inferi.* Sed Pseudo-propheta mortuus, Papa & Papatus vivit & vivet, stat stabítque invitis omnibus portis inferi, quæ juxta Christi Effatum, non prævalebunt.

Tertiò. In ejusdem Libri Præfatione Contra Regem Angliæ ait: *Meis libellis brevì efficiam, ut Bohemi* (id est, tunc Hussitæ) *à suo opprobrio liberi; Soli autem Papistæ, sit nomen abominationis in Orbe terrarum, ut maledictum & anathema sit, esse Papistam.* Minimè effecisti Luthere.

Quartò. In opusculo cui Titulus: contra siccarium Dresdæ. *Ego* (inquit) *meis tonitruis, & fulminationibus, Papistas ad Sepulturam compulsabo.* Ecce vivimus.

Quintò: *Qui habet* (inquit in Assert: artic: 34. Tomo 2. Lat: Viteb:) *aures audiendi, audiat, & à bello Turcico abstineat; donec Papæ nomen sub cælo valet. Fortè, sicut Michæas qui & ipse odiosus erat, quia non prophetabat, nisì malum, dicam & ipse, meo Achab. Ite, præliamini contra Turcas, ut resistatis Virgæ Dei, & cadatis, sicut & ille cecidit. Ut & ego prophetem semel, Licèt non audiar, quod scio; nisì Romanus Pontifex redigatur in ordinem, actum est de omni re Christiana.* Sed bene consistit Res Christiana, Romano Pontifice agente Pastorem Ecclesiæ visibilem.

Sextò. Tomo secundo Epist: Latin: Epistola 236. Anno Domini 1521. in Die Divisionis Apostolorum scripta, ad Spalatinum ait: *Carolum impeti bellis; nihil mirum, nihílque unquam habebit prosperum, & cogetur alienæ impietatis pœnam solvere infelix Juvenis, quòd veritatem Wormatiæ, malis Consultoribus in faciem sic repudiavit: & Germaniam involvet calamitate sua quoque, quòd impietati consensit.* Verùm, en Carolus V. post hoc Lutheri

theri vaticinium, Italiam, Saxoniam, Libiam, Germaniam Galliam, domuit, capto Potentissimo Rege Galliarum Francisco, & multis Imperii Principibus, etiam Electore ipso Saxoniæ Joanne, Fautore Maximo Lutheranismi.

Septimò. In Lat: colloq: Titul: de Jurisperitis, scribitur ab Aurifabro, Lutheri amicissimo: *Dicebat Doctor Lutherus, hæc mea ultima voluntas est, nè ullus filiorum meorum in Jure promoveatur. Joannes erit Theologus: Martinus est nequam; illi timeo: Paulus militare debet contra Turcam.* Ast, nec Joannes fuit Theologus, nec Paulus militavit contra Turcam, potiùs hi tres fuère nequam, imitatores sui parentis, & insignes potatores: Ut comprobat etiam Historia sequens, conscripta à Patre Nicolao Serario (quem Cardinalis Baronius Tomo 12. Annal: ad Annum 1126. Lucis jubar Ecclesiæ Germanicæ esse dixit.) *Referam,* (inquit Pater Serarius lib: 2. cap. 8. de Lutheri Magistro.) *Quòd hìc Moguntiæ, Anno 1584. accidisse, à prudentibus, honestóque politico munere fungentibus, accepi. Ad vicinas thermas venerat Saxoniæ Illustrissimus Elector Augustus, acceptus à Reverendissimo Wolffgango in Arce Moguntina perhonorificè: habebat in comitatu, Lutheri filiorum Sapientissimum: cœpit is pro naturali genio, & inolita consvetudine, cum nonnullis perpotare; Vocatus interea est ab ipso Electore; an ut ab ebrietate, modestus eum Princeps avocaret; an ut aliud cum illo ageret, nescio: sed hoc ille perægre ferens, ad Compotatores conversus, ajebat: Meus Pater, tot & tam Opulentos Episcopatus, & Abbatias, Principibus istis tradidit; nobis ipsi exiguum tantummodò Monasteriolum dederunt; & adhuc invident, si largiore nos haustu exhilaremus.*

Ex dictis patet, immeritò Hussum à Luthero, & ejus Asseclis, vocari Sanctum, & Prophetam: & ob similes, imò & graviores rationes, multò minùs pro Sancto & Propheta haberi debet Lutherus; licèt in numerum Sanctorum & Prophetarum reponatur à suis, quin & à se ipso: dicit enim

Lutherus se ipsum reponit in Cathalogum Sanctorum & Prophetarum.

nim in Caput 5. Epist: ad Galat: *Lætus ago gratias DEO, quòd supra modum abunde mihi donaverit, quod olim Monachus petii, non ut viderem unum Sanctum, sed multos, imò infinitos verè Sanctos; non quales Sophistæ, sed Christus ipse & Apostolus fingunt, ac describunt; quorum & ego gratiâ DEI, unus sum.* Michæam se etiam, ac Isaiam Prophetam facit, & prophetat: ùt visum suprà. Quodsi tamen omnino urgeat, Hussum & se, reponi in Catalogum Sanctorum; & Prophetarum: per me licèt: reponatur sanè uterque, sed in eorum, de quibus ipse scribit (parcite aures honestæ) his verbis, tomo quinto Lat: Viteb: in cap. 15. Matth: *Sunt Sancti concacati & merdosi: eorum enim Sanctitas, consistit in cacando & mingendo: Sunt merdosi Prophetæ, quorum doctrina & justitia est merda, & oletum.*

Novatorum variorum Prophetiæ.

Appono hìc Eruditionis gratiâ, & alias Pseudo-prophetarum evangelicorum mirabiles Prophetias. Michaël Stifelius, Lutheri Discipulus, & Verbi ejus Minister, suis Parochianis ex Cathedra asseveranter & constanter prædixit, Anno 1533. certo die, quem ipse nominabat, fore finem Mundi: crediderunt suo Parocho miselli: alii gemere, rustici nolle laborare, nec agros colere, alii potare, & sua, quasi eis deinceps opus non foret, largiter consumere: alii Eucharistiâ, quasi morituri, se communire, pavidè exspectare omnes. Venit dies; & quid tandem? Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus. fanaticum Vatem explosit populus, eúmque accusavit apud Lutherum; ursítque, ut eum, quasi impostorem puniret, ac ministeriô privaret: Lutherus cum Stifelio, quasi augur cum augure colludens, errore dissimulato, populum increpavit, jussítque ut suum reciperent Ministrum, illíque parerent, ab eo Verbum Dei audirent. Ità refert Chronic: German: Anno 1533. & Laurent. Surius, ac Cornel. à Lapide in Prooemio in Prophetas Majores. Ex schola Pseudo-phetæ Lutheri, & alii plures

res emerſerunt Pſeudo-prophetæ : ùt Thomas Muntzerus, qui ſe Gedeonem vocabat, & innumeros ruſticos armaverat contra Principes Germaniæ, quòd prædixerit certam victoriam, & ſe excepturum in manica omnes globos tormentorum bellicorum : & tamen poſt, cæſa ſunt multa millia ruſticorum; Thomáſque ipſe captus & ſecuri percuſſus. Itèm David Georgius, novus Propheta emerſit in Friſia, Anno 1525. qui ſe prædicavit eximium eſſe Prophetarum & DEI Nepotem, ac Anno tertio poſt mortem reſurrecturum, Regnum Iſraël reſtituturum. Michaël etiam Servetus, qui ſeptem Libros de erroribus, plenos blasphemiis, è Schola Lutheri exortus, nondum annos natus viginti quinque, jactabat ſe Orbis totius Prophetam. Nota itèm eſt illa Hiſtoria, quæ contigit Anno 1535. Joannes Leidanus, Sartor, fanaticâ audaciâ cum ſuis Anabaptiſtis, Monaſterium, Urbem Weſtphaliæ invaſit & occupavit, Regem ſe, imò Meſſiam Novi templi in Sion indigitavit: inſtar Chriſti, 12. Apoſtolos & Prophetas, ad vicinas Urbes quaqua versùm legavit, qui cunctos ad novum hunc Meſſiam colendum invitarent, imò DEI nomine citarent: eum recipientibus, aurea ſæcula promittentes ; reſpuentibus, DEI iras, intentantes. Ibant illi Enthuſiaſtæ, furore, imò Dæmone pleni, fundebant Oracula, minas: ac nè deeſſet altera Judith Holofernem obtruncans, Hilla mulier ex Friſia, auro gemmíſque gravis, urbe, ab Epiſcopo, Urbis Domino obſeſſâ, egreſſa, Epiſcopum in ſui amorem illicere, ac venenô necare deſtinabat: Sed prodita, temeritatis ſceleríſque pœnas capite luit. Acceſſit & novus Samſon, Joannes Mathiſon Harlemius, qui ipſo Paſchatis feſto, à cæleſti Patre ſibi nunciatum dixit, exiret in obſidientis Epiſcopi Caſtra, futurum, ut ipſe ſolus hoſtes funderet, cederétque : approbârunt Prophetæ omnes; & ille bipenni inſtructus, egreditur, Statímque haſtâ

stâ transverberatus, corruit: Episcopus armata manu Urbem cœpit, Hæreticos subjugavit, novos Prophetas trucidavit, Regem & Messiam Leidanum vivum, ex alta turri, crati vimineæ alligatum suspendit, eúmque soli torrendum, muscis & avibus laniandum exposuit, vorandúmque in prædam dedit. Et hæc ex parte innuisse sufficit, novorum 5. vel 6. Evangelii Præconum, & Pseudo-prophetarum vaticinia.

CAPUT X.

ASsero decimo. Non est mirabile simpliciter, seu nullum est miraculum verum, quòd intrà breve tempus, multi adhæserint Luthero.

PRæmitto primò. Lutherus, & Prædicantes pro summè mirando seu miraculo reputant, quòd brevi tempore, plurimi ejus Sectam amplexi fuerint. Imò, quòd meritò mireris, Serenissimus Magnæ Britaniæ Rex Jacobus, Mariæ Stuartæ Gallorum ac Scotorum Reginæ, odio Fidei Catholicæ, ab Elisabetha, carnificis manu, interemptæ, filius, in sua Monitoria Præfatione, folio 116. asserit; absque miraculis fieri non potuisse, ut initiò, tam pauci Lutherani & Calviniani verbi disseminatores, tantum efficerent.

Quid miraculum propriè tale?

Præmitto secundò. Miraculum verum, propriè tale, non est quivis admirandus effectus, nisi valde impropriè ùt dum dicuntur, septem fuisse miracula mundi; sed propriè & strictè miraculum definitivè, *Est Effectus, seu Opus, superans omnes vires creatas, saltèm spectatô modô, quo fit, ideóque omnibus Creaturis est Opus mirabile.* Miraculum enim dicitur quasi admiratione plenum, quod scilicet, habet causam simpliciter, & omnibus occultam. Hæc autem est DEUS, ùt loquitur S. Tho-

S. Thomas 1. par: quæ: 105. arti: 7. Et Divus Augustinus lib: 26. contra Faustum cap: 3. ait. *Cùm Deus aliquid facit contra cognitum nobis cursum solitum Naturæ, Magnalia, vel Mirabilia appellantur.* Quare verum miraculum, debet esse Opus mirabile omni intellectui potenti admirari, scilicet creato: hic enim solus est admirativus; cùm non sit comprehensivus omnium Causarum; Tum quia si sufficeret ad esse veri miraculi, quòd sit mirabile alicui tantùm intellectui, tunc & Eclipsis solis, Lunæ, & similia, deberent esse vera miracula; miratur enim ea rusticus, non tamen Philosophus. Tum quia miraculum, est supremum inter entia mirabilia, adeoque est mirabile simpliciter: quod enim est supremum in aliquo genere, est simpliciter tale, ideoque mirabile omni intellectui creato. Porrò, ad admirationem duo concurrunt. Primò, ut sit occulta Causa ejus, quod admiramur: admiratio enim, ùt dicit Aristoteles, incipit ab ignorantia, & terminatur in scientia, quæ est cognitio rei per causam. Secundò, Ut illud, quod admiramur, appareat novum, & inexpectatum, eò, quòd in Natura appareat dispositio contraria effectui illi: hinc quæ quotidie videmus, non admiramur, quamvìs earum causas ignoremus: quia ex continua consvetudine apparet nobis, esse naturalis dispositio ad effectum, quem videmus. è contra Pueri facilè admirantur: quia cùm noviter sint in Mundo, ignorant plurimarum rerum causas; & insuper non habent consvetudinem illas videndi; Hinc itèm Creatio & Justificatio Impii, licèt à Solo DEO fiant, non tamen propriè loquendo, Miracula dicuntur: quia ùt dicit Sanctus Thomas locô suprà citatô: *Non sunt nata fieri per alias causas, & ità non contingunt præter ordinem Naturæ; cùm hæc ad facultatem Naturæ non pertineant.* Ubi etiam addit: *Quòd, arduum dicitur miraculum, non propter dignitatem rei, in qua fit, sed quia excedit facultatem Naturæ; si-*

ræ; similiter etiam, insolitum dicitur: non quia frequenter non eveniat (nam in primitiva Ecclesia fiebant frequenter miracula) *sed quia præter naturalem consvetudinem.* His præmissis. Suprà posita nostra.

Non est miraculum, quòd multi accesserint Luthero.

Probatur Assertio. Tum quia aliàs Ariana, Mahometana, & Calvinistica, sectæ, potiori jure non carerent veris miraculis; siquidem ad illas plures transierunt, quàm ad Lutheranam: *Arius* (inquit S. Hieronymus) *una scintilla fuit; sed quia non statim oppressa est, totum Orbem ejus flamma populata est.* Et. *Ingemuit totus Orbis, se Arianum miratus est.* Certè ad Arianismum intrà breve tempus, longè plures populi, Principes, & Reges accesserunt, quàm ad omnes Hæreses hujus temporis simul sumptas. Mahometanos quis dinumerare etiam potest? Tum quia ùt bene olim Cancellarius Regni Angliæ, & inclytus Christi Martyr, Thomas Morus, respondit, scribens ad Pomeranum, idem miraculum Lutheri sibi objicenti: *Ad propositam* (inquit) *vitæ licentiam, populum ruere, id habet tantam miraculi speciem, quantam, saxa deorsum ruere.* Nullum certè miraculum est, quòd Natura humana corrupta, tendat ad prava, & placentia sensui & carni amplectenda Dogmata. Lutherus, molesta carnis auferendo, & habenas ad patranda flagitia, vitæque impuritatem laxando, traxit plurimos: Docuit enim impossibilem esse Observationem Legis Divinæ. Itèm. Impossibilem esse servatu castitatem: docuit; Non credere in Filium Unigenitum, esse unicum & solum peccatum in Mundo, propter quod Mundus judicetur: Solà itèm Fide habità, certò obtineri vitam æternam. Insuper multos è plebe ad se traxit abrogatione Confessionis exactæ auricularis; abrogatione jejuniorum, & Festorum plurimorum. Nobiles traxit, concedendo illis bona Ecclesiastica; docendo, illos esse supremos etiam in Spiritualibus; nec obligari ad decimas dandas &c.

Quibus mediis, multos ad se traxit Lutherus?

das &c. Ex Clero, & Monasteriis multos pertraxit, dicendo, eos non obligari ad recitandas Horas Canonicas, nec ad cælibatum; imò impellendo ad incestas nuptias. Dicit enim Tomo 5. Viteb: Lat: serm: de Matrimon: *Si quis extra, vel intrà cœnobia, castitatem voverit; tuum Votum cum DEO pugnat, adeoque nihil est &c. O! pulchram Ecclesiam* (meritò exclamat Florimundus lib. 7. cap. 16.) *quæ, obstetricante libidine crevit, cujus fundamenta, incestibus atque adulteriis innituntur!* Hinc & Epicurus, quia carni placentia docuit, plures discipulos habuit; quàm longè alii ingeniosiores & Sapientiores Philosophi. *Epicuri disciplina* (inquit Lactantius lib: 3. Instit: Divin: cap: 16.) *multò celebrior semper fuit; non quia veri aliquid afferat, sed quia multos ad populare nomen voluptatis invitat: Nemo enim non in vitia pronus est, eáque vincere, difficillimum est.* Insuper, doctrinæ novitate, multos ad se pellexit Lutherus: homines enim proclives sunt ad nova: audienda, & amplectenda, ideoque ipsemet Lutherus in cap: 19. Genes: ait: *Arius, cùm spargeret venenum suum in mundum, magno applausu acceptus est: quia adferebat aliquid novi, hactenus non auditum in Mundo; talia ferè initia omnium Hæresum fuerunt, obviis ulnis accepit eas mundus, & sic admiratus est, ac si priores Doctores, non fuissent puri.*

Accedit, quòd licèt initiò plurimi accesserint Luthero; brevì tamen, ab ejus doctrina multi recesserunt. Andreas enim Carolstadius, juratus antea Lutheri amicus, & ejus in Doctoratu Promotor & Magister, non tantùm magnam Partem Lutheranorum, novus Hæresiarcha ad se traxit; sed insuper testatus est. *Fidem Lutheranorum, similem esse Magicæ Fidei Ariolorum & Dæmonum; se Davidem esse, qui Magnum Goliathum, Martinum, solo prostraverit &c.* Multò autem plures retraxit à Luthero Zwinglius, Calvinus, ac Bernhardus Rothman, Auctor Anabaptistarum: itèm Gaspar Svenckfeldius, & alii.

Multorũ recessus à Luthero.

Domus Professae ... ad ... Bibliothecam

& alii. Bene S. Augustinus in Enarrat: in Psal: 57. monet Catholicos: *Non vos* (inquit) *terreant Fratres, quidam fluvii, qui dicuntur torrentes: hiemnalibus aquis implentur, nolite timere, post paulùm transit, decurrit aqua, ad tempus perstrepit, mox cessabit, diu stare non possunt. Multæ hæreses jam emortuæ sunt, cucurrerunt in rivis suis, quantum potuerunt; decurrerunt, siccati sunt rivi, vix eorum memoria reperitur, vel quia fuerint.* Ubi nunc enim Ebionitæ, Eutychiani, Macedoniani? &c. imò & Lutheranismus non adeò pridem exortus, jam quotidie, ùt evidens est, in majores angustias & paucitatem, contrahitur.

TRA-

TRATATUS SECUNDUS.

Exponuntur verè Admiranda Lutheri mendacia, atque Convicia, lata in Sanctos Patres, Sacra Concilia, Sanctum Moysen, & Libros Scripturæ Sacræ. Itèm Admiranda ejus Superbia, & Maledicentia.

CAPUT I.

ASsero primo Admiranda sunt Lutheri Mendacia.

Mendacia crassa Lutheri. de Papa & ei adhærentibus.

PRobatur. Quis enim prudens Christianus Lector non miretur, tanta (ex aliis innumeris, quæ prætereo) mendaciorum portenta, à Luthero etiam typo mandata? *Certum est* inquit Lib: adversus Papatum) *Papam, & Cardinales, cum sua Sycophantica schola, nihil prorsus credere, & ad mentionem de*

de Fide Christiana factam, ridere. Imbiberunt hanc opinionem, nullum esse Deum, nullum infernum, sed nos vivere ac mori; ùt boves, & porcos, & alias bestias. Tam enormibus mendaciis, quidnam potest esse mendacius?

Ibidem. *Papa dicit: Christus est ebrius, stolidus, fatuus, & oblitus, quantam potestatem ligandi, cum clavibus mihi tradiderit.*

Ibidem. *Papa dicit: Qui non adorat ventris mei crepitus, peccatum mortale committit, & dignus est infernô.*

Ibidem, id est in libro adversus Papatum. *Certus scio, nostros pueros, sive catechumenos, hoc est qui Catechismum didicerunt, doctiores esse Cardinalibus, & totâ Curiâ Romanâ, cum omnibus eorum sectam sequentibus.*

De Decretis Pontificum, Conciliorum, Patrum.

Ibidem. *Si Decretales Papales, à fronte ad calcem usque evolvantur; non invenitur nè una litera quidem, quæ doceat, quid fides? aut quomodo Christiana vita instituenda sit.*

In Lib: de Ecclesia. *Papa, Scripturam Sacram in cœno & pulvere sepeliit, & doctrinam Christianam pænè integram delevit.*

In Colloq: tit: de morte. *Monstrate mihi unum locum de Justificatione Fidei in decretis, decretalibus, Clementinis, sexto, Extravagante, in omnibus scribentibus sententiarum, in omnibus Statutis omnium Synodorum, in toto Hieronymo, & Gregorio, in omnibus Statutis Conciliorum, in Omnibus Disputationibus Omnium Theologorum, in omnibus Lectionibus omnium Universitatum, in tota Curia Papæ, & in omnibus Curiis Episcoporum.* Quanta congeries Lutheri crassissimorum mendaciorum! ùt patet aliquomodo revolventi, à Luthero citata monumenta: imò ipsum etiam principium Decretalium est de Summa Trinitate, & Fide Catholica ad Justificationem necessaria: fatemur tamen nihil esse in Libris Catholicorum, de Justificatione solius Fidei, sinè Charitate (in adultis) & bonis operibus.

De Catholicis.

Tomo I. Viteb. impresso, 1582. fol. 41. *Sophistæ Papistæ non intelligunt quid sit peccatum, fides, Christus, Lex, charitas, & omnia quæ loquuntur.* Super

Super Evangel: de Festo Annuntiat B. Virginis. *Papistæ, Virginem Mariam, Deum constituunt.*

In cap. 24. Genes: *Papa, & Canonistæ, non docent, nec jubent ducere uxores, sed rapere.*

Tomo sextò in Cap. 29. Genesis. *Papistæ, etiamsi jejunànt, abstinent à conjugio, murmurant in templis, tamen in precibus eorum nullus spiritus, nullus affectus, nullus cultus DEI est: plena sunt omnia avaritiâ, idololatriâ, inani gloriâ, & contemptu DEI.*

In Colloq: tit. de Jure Pontificio. *Jus Pontificium, quod omnes Juristæ testantur, est Liber turpissimus.*

Tomo primo Epist: 47. *Propè est ut jurem, nullum esse Theologum Scholasticum, qui unum Capitulum Evangelii, vel Bibliæ intelligat, præsertim Lipsiensem; imò nec Philosophi Aristotelis, unum Capitulum.* *Theologis.*

Epist: 36. *Ostendi ego, nec Thomam, nec omnes Thomistas simul, vel unum in Aristotele Capitulum intellexisse. Petii ut conflatis omnibus viribus Thomisticæ Eruditionis, definirent mihi, quidnam esset implere mandata Dei; Scio inquam, nullum esse Thomistam, qui id sciat.* *Divo Thoma, & Thomistis.*

In expositione in Psal: 22. *Thomas, cum omnibus Thomistis, Universísque Scholasticis Doctoribus, unius Capituli, vel in Paulo, vel in Evangelio, vel quocunque Libro Scripturæ, intelligentiam germanam & legitimam nunquam aut habuit, aut docuit; ùt evidens est experientia.*

In Epist: ad Wolffgangum. *Monachi, in suis votis Monasticis, spem suam habent positam: Christi, & Fidei obliti planissimè.*

In Libro, Anno 1521. scripto, contra Latomum. *Nec est* (inquit Lutherus) *quòd mihi homousion illud objectes, adversùs Arianos receptum, non fuit receptum à multis, iísque præclarissimis* (insignis falsitas: nam omnes Orthodoxi, illud vocabulum perlibenter acceptârunt) *quod & Hieronymus optavit aboleri.* Iterum insignis falsitas, solùm de nomine Hypostaseos, Damasi sententiam exquisivit: nam hæc vox Hypostasis, tempore *Sancto Hieronymo.*

pore S. Hieronymi, non fuit trita in Ecclesia; unde metuit, nè quid veneni, sub trium Hypostaseon appellatione delitesceret: Scribendóque ad Damasum Papam, ità concludit: *Obtestor Beatitudinem tuam per Crucifixum, Mundi Salutem, per Homousion Trinitatem, ut mihi Epistolis tuis, sive tacendarum, sive dicendarum Hypostaseon detur Auctoritas.* Itèm Anno 1539. scripsit Lutherus Librum de Conciliis & Ecclesia, & vulgavit, in quo denuo falsò asserit, Hieronymum lamentabiliter postulasse, ut vox Homousii exploderetur.

In Symp: Colloq: titul: de Linquis. *Septuaginta Interpretes, qui Hebraica Biblia in Græcam linguam transtulerunt, Hebraicæ linguæ imperiti, expertésque fuêre: Hieronymo Summam injuriam irrogat, quicunque illum pro Hebræo habet.* 70. Interpretes nati fuerunt Hebræi; & inter suos doctissimi: & linguæ nativæ expertes fuisse credemus? S. Hieronymum fuisse linguæ Hebrææ peritissimum, testantur omnium ætatum eruditi: inter quos S. Augustinus lib: 18. de Civit: Capit: 43. ait: *Non defuit temporibus nostris Presbyter Hieronymus, homo doctissimus, & trium linguarum peritissimus, qui ex Hebræo in Latinum, Divinas scripturas convertit, cujus tantum literarum laborem, Hebræi fatentur, esse veracem.* Et S. Isiodorus lib: 6. Etymol: cap. quinto dicit: *Presbyter Hieronymus, trium linguarum peritissimus* (scilicet Latinæ, Græcæ, Hebraicæ) *ex Hebræo in Latinum eloquium, Divinas Scripturas convertit, eloquentérque transfudit; cujus interpretatio, meritò cæteris anteponitur.* Idem testantur & alii plurimi. Et unus Apostata, Hebraicæ linguæ inscius, negat, sinè ullo fundamento; & huic credemus?

Religiosis.

Tomo 4. Jenensi German: in Explicatione Decalogi ex Cap: 19. & 20: Exod: dicit: Bernardum, sub vitæ finem agnovisse, opera quæ fecerat, tot jejunia, quæ jejunârat, tot disciplinæ asperitates, quas sponte susceperat, totámque vitam Monasticam, nullius esse momenti apud Deum. Falsissi-

ſiſſimum eſt. In Cap. 45. Geneſ: ait: *Si quæras, cur jejunent Auguſtinus, Bernardus, & alii? cur corpus macerent? cur flagellis cædantur? hanc adferunt cauſam, ut mereamur exaltari ſupra alios in Regno Cœlorum.* Grandis falſitas: Tomo 2. lat: Colloq: tit: de Patribus. *Hieronymus, neque de Fide, Spe, Charitate, neque de Operibus fidei, ullibi loquitur.*

Tomo 2. Novorum Operum pag: 453. in Cap. 1. Joan. falsò aſſerit, Monachos, & animô & cogitatione talem Deum concipere, ac informare, Cui, in cælo nihil aliud ſit negotii, *quàm, ut Sartoris inſtar, cappas & plattas, cingula, & cilicina induſia; & ligneos calceos faciat; quos, qui induat, is, non ſolùm ſibi, ſed & aliis cœlum acquirat.*

Aſſeruit Lutherus, Æſopi fabulas & Catonis ſcripta, eſſe libros, quibus nullus, poſt librum Sacræ ſcripturæ utilior exſtet, ùt refert Matthæſius Prædicans Conc: 6. de Actis Lutheri, & Aurifaber in Colloq: ſympo: Tomo primo prope finem. Itáne Æſopi fabulæ & Catonis ſcripta, utiliora ſunt Eccleſiæ, quàm Patrum Sanctorum Libri & Conciliorum Decreta? *Scriptis Sanctorum Patrum.*

In Præfat: lib: de Moribus Turcarum, ſcripſit; *Ego planè credo, nullum Papiſtam, Monachum, Clericum, aut eorum fidei Socium ſi inter Turcas triduò agerent, in ſua fide manſurum, loquor de iis, qui feriò fidem Papæ colunt, & optimi inter eos ſunt.* Quanta falſitas! quàm plurimi ſemper, etiam nunc, tam Laici, quàm Religioſi, inter Turcas plurimo tempore verſantur, ſinè Fidei jactura. *Eccleſiaſticis.*

Scripſit Lutherus in Aſſert: Articul: 25. *Qui ſemel mentitur, hic certiſſimè ex Deo non eſt, & ſuſpectus in omnibus habetur:* Itèm in lib: contra Emſerum Tomo 7. German: fol: 150. Edition. Viteberg. per Joan. Lufft 1554. *Si ſemel deprehenderer mentitus, jam tota mea doctrina, & honor fidei, & fidelitas, finem penitus haberet: unusquiſque me pro nequam, & infami nebulone*

ne (ùt æquum est) habiturus esset. Et en tot ejus falsitates, & enormia mendacia, in hoc Capite, & alibi recensita sunt, & adhuc ei credemus?

CAPUT II.

ASsero secundò. Admiranda sunt Convicia à Luthero lata in Sanctos Patres.

Convicia gravia in S. Hieronymum.

PRobatur. Tomo 2. Lat: Colloq: Tit: de Patribus ait: *Hieronymus nihil boni scripsit, neque censeo eum numerandum inter Doctores Ecclesiæ, quia fuit Hæreticus. Nihil de Christo tractat, nisì quòd nomine utitur. Nullum inter Scriptores ità Odi, ùt ipsum: tantùm de jejuniis, cibis & virginitate scripsit. Si tamen urgeret Opera Fidei, aliquid esset. Sed neque de Fide, Spe, Charitate, neque operibus Fidei loquitur: Legi potest propter historiam, de Fide enim & vera Religione ac doctrina, nè verbum quidem in ejus operibus exstat.* Et Tomo 4. Latino Jenensi in Commentario super Psal. 127. *Jovinianus, plùs Eruditionis & judicii habuit in uno digito quàm Hieronymius in toto corpore. Pestilentes sunt ejus libri contra Jovinianum.* Itèm, ùt refert Matthæsius Conc: 12. de Actis Lutheri, hoc effutiit. *Hieronymus, bonus ille Pater, & Nonnarum Encomiastes, parùm intelligit de Christianismo.* Demum in cap. 22. Genes: Tomo 10. Viteb: Germ. dicit: *Impia & maledicta est vox Hieronymi* (commendantis vitam Monasticam) *pro qua, potiùs te Hieronyme contemnimus, & conculcamus pedibus, unà cum Bethlehem, cucullo & deserto.*

Judicium præclarũ Orbis Orthoxi de S. Hieronymo.

Longè aliter totus Orbis Orthodoxus sensit de S. Hieronymo. Gelasius Papa cum septuaginta Episcopis Anno 494. in Concilio Romano dixit. *Illa sentimus, quæ Beatissimum Hieronymum sentire cognovimus.* S. Severus Sulpitius Bituricensis Archi-Episcopus, Dialogo 1. de Virtutibus Monacho-

chorum Orientalium ſcripſit; *Hieronymus, Vir, præter Fidei meritum, dotémque virtutum, non ſolùm Latinis, atque Græcis, ſed & Hebræis etiam, ità literis inſtitutus eſt; ut ſe illi in ſcientia nemo audeat comparare. Per totum Orbem legitur: Ego apud Hieronymum, ſex menſibus fui, cui jugis adverſùs malos pugna, perpetuúmque certamen, concivit odia perditorum; Oderunt eum Hæretici, quia eos impugnare non deſinit, quia vitam eorum inſectatur & crimina: ſed planè eum, boni omnes admirantur & diligunt: Nam, qui eum Hæreticum arbitrantur, inſaniunt. Verè dixerim, Catholica hominis ſcientia, ſana doctrina eſt: totus ſemper in lectione, totus in libris eſt: non die, non nocte requieſcit; aut legit aliquid, aut ſcribit.* S. Auguſtinus ad eum ſcribens Tomo ſecundo Epiſt: 28. petit ſe ab eo inſtrui de natura & origine Animarum. *Sancte Hieronyme, noli me* (inquit) *ſpernere, doce quæſo, quod doceam, doce, quod teneam.* De quo Caſſianus Lib: 7. de Incarnat: Verbi, contra Neſtorium ait; *Hieronymus, Catholicorum Magiſter: cujus ſcripta per univerſum Mundum, quaſi Divinæ Lampades rutilant.* Tanta Viri hujus fuit Sanctitas, ut totus Mundus, ante Lutherum, coluerit eum, ùt Sanctum, & Sancti nomine appellaverit: tanta fuit Eruditio, ut commune fuerit Orbis Oraculum, dicíque conſveverit: Neminem ſciſſe, quod Hieronymus ignorabat. Ejus libri contra Jovinianum, & unus libellus contra Helvidium Hæreſiarchas, longè plùs Doctrinæ & Eruditionis continet, quàm omnes tomi Lutheri. Placuit Luthero Jovinianus Monachus, Hæreſiarcha; quia ei viam monſtravit explendæ libidinis, negans cum Helvidio, Virginitatem præſtare Matrimonio; diſplicuit S. Hieronymus, & Apoſtaſiæ ac Hæreſis eum arguit, quia ei aditum ad inceſtas nuptias occluſit, ùt patet legenti, tum ab eo ſcriptos Libros contra dictos Hæreſiarchas: Tum Epiſtolam 57. ad Damaſum Papam in qua leguntur hæc: *Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini Tuæ, id eſt*

Cur Luthero placuit Jovinianus, diſplicuit Divus Hieronymus?

Cathedræ Petri communione consocior. Super illam Petram, ædificatam Ecclesiam scio: quicumque extra hanc Domum, Agnum comederit, profanus est. Si quis in Arca Noë non fuerit, peribit regnante diluvio. Et Epist. 58. *Ego clamito, si quis Cathedræ Petri jungitur, meus est.* Itèm libro adversus Luciferianos sub finem. *Brevem tibi, apertámque animi mei sententiam proferam. In illa Ecclesia esse permanendum, quæ ab Apostolis fundata, usque ad diem hanc durat. Sic ubi audieris, eos, qui dicuntur Christi, non à Domino Jesu Christo, sed à quopiam alio nuncupari; ùt puta, Marcionitas, Valentinianos, Montenses sive Campitas* (Lutheranos, Calvinistas &c.) *scito, non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse Synagogam. Ex eo enim ipso, quòd postea instituti sunt, eos se esse indicant, quos futuros Apostolus 1. Tim: 4. prænuntiavit. Nec sibi blandiantur, si de Scripturarum Capitulis, videntur sibi affirmare, quod dicunt: cùm & Diabolus de Scriptura aliqua sit locutus, Matt. 4. & Scripturæ non in legendo consistunt, sed in intelligendo.* Et ob rationes similes, graviter displicuerunt Luthero, & alii Patres gravissimi & antiquissimi, sanctitate, vel eruditione omnigena vel ex utroque, toti Orbi conspicui.

Scripsit olim idem S. Hieronymus (Epist: 25. inter Epistol: Augustini) Divo Augustino. *Mactè virtute in Orbe celebraris! Catholici Te Conditorem antiquæ rursus Fidei venerantur, atque suspiciunt, & quod signum majoris gloriæ, omnes Hæretici detestantur, & me pariter prosequuntur odiô, ut quem gladiis nequeunt, votô interficiant.* Sic majoris gloriæ est Sancto Hieronymo, aliisque Sanctis Patribus & Doctoribus infrà citandis, quòd inter cæteros Hæreticos, odiô eos etiam prosequatur Lutherus, amicus Veneris & Bacchi. Utique teste Divo Hieronymo in Caput 3. Jeremiæ: *Nulla hæresis, nisì propter gulam ventrémque construitur, ut seducat Mulierculas oneratas peccatis.*

Convicia Lutheri in Sanctum Chrysostomum.

In Colloq: mensal: tit: de Patrib: *Chrysostomus, nullius apud me est ponderis, tantummodò rabula est.* Itèm. *Chrysostomus, cùm*

cùm eloquens & loquax esset, magnam sibi peperit existimationem, magníque ab omnibus habebatur: Multos Libros componebat præclaros speciæ, sed nihil erant, nisì rudis & indigesta moles, chaos immensum, saccus verbis refertus, quibus nihil subest. Cùm tamen à Magnis Viris proditum sit, quòd S. Paulus Apostolus, scribenti & prædicanti multa dictaverit, imò hujus rei Oculatus testis est Proclus, qui postea factus est Episcopus Constantinopolitanus: Sanctus verò Petrus, & Sanctus Joannes, Clavem & Librum ad scripturas intelligendas eidem dederint, sintque verè aurea scripta hujus Doctoris aurei. Credo, Quòd Lutherum Monasticæ Vitæ summum calumniatorem, ac incestuosum Apostatam, ad tam impiam Censuram de S. Chrysostomo latam, rabies & odium impelerit, eò, quia ille Magnus Ecclesiæ Doctor, libros tres conscripsit contra Vituperatores Vitæ Monasticæ, & Epistolas aureas duas ad Theodorum lapsum Monachum, volentem Matrimonii larvâ obtegere suas Sacrilegas nuptias.

In S. Basilium.

Ibidem in Colloqui: *Basilius, prorsus nihil valet, totus est Monachus, nè pilo quidem eum emerim.* Sed è contra, Sanctus Nazianzenus in Monodia, eum meritò vocat: *Virum Sanctissimum, & summum in cunctis scientiis.* Universa etiam Ecclesia Orthodoxa, Basilium, fuisse Magnum Doctrinâ & Sanctitate, artéque debellandi Hæreticos, præsertim Arianos, & Eunomianos, testatur.

In SS. Ambrosium & Augustinum.

Ibidem. *Cyprianus, infirmus est Theologus. Ambrosius, sex libros scripsit super Genesim, sed quàm Jejunos! Augustinus nihil singulare habet de Fide.* Et titul. de lib: *Multi Libri Augustini, nihil sunt.*

In S. Gregorium Magnum.

In Caput 49. Genesis. *Gregorius* (nempe Magnus) *qui Episcopus fuit ante Tyrannidem illam Pontificatûs, admodùm tenuiter cognovit Christum & Verbum Evangelii.*

In S. Dionysium.

In Colloq: Titul: de Scholasticis Theologis. *Dionysius* (intel-

(intellige Areopagita) *multùm garrit de Divinis Nominibus, De Cœlesti & Ecclesiastica Hierarchia, sed est tantùm pura fabula.* Et in lib: de Captiv: Babyl: *In Dionysio, fermè nihil est solidæ eruditionis, nam quæ in Cœlesti Hierarchia, de Angelis comminiscitur, sunt propè Somniis simillima.*

In S. Bernardum

In Colloq. tit: de Patribus. *Bernardus, superat omnes Doctores Ecclesiæ, quando prædicat, sed quando disputat, fit alius homo: ibi nimiùm tribuit præcepto & libero arbitrio, & sæpe sibi contrariatur, & oppugnat id, quod antea docuit.*

In Doctorem Angelicum.

Libro contra Latomum. *De Thoma Aquino, an damnatus vel Beatus sit, vehementissimè dubito. citiùs Bonaventuram crediderim esse beatum. Thomas, multa Hæretica scripsit, & Auctor est regnantis Aristotelis, Vastatoris piæ Doctrinæ.* Et libro Contra Catharinum. *Thomas, revera Hæretica docet, & planè Christi doctrinam vastat, nihil in eo olfit spiritûs.* Et In Colloq: tit. de Schol: Theol: *Thomas Aquinas est loquax & garrulus.* Tomo quinto Lat: Viteb: in Caput: 3. Epistolæ S. Petri: *Thomas Dominicanus, cucullatus impudentissimus, ausus est* (inquit excucullatus blasphemus Hæresiarcha) *mentiri, institutum Paparum & Monachorum, præstabilius esse communi Laicorum institutô.* Itèm in Psal: 22. *Thomas est Antichristi Apostolus.* Demum de Exaltatione S. Crucis. in Concione: ait: *Thomæ de Aquino, ad aurem appingitur columba, arbitror juvenem diabolum.* Ità diabolô plenus Lutherus, de Viro Angelico & Sanctissimo.

In varios Sanctos & subtilem Scotum.

In Colloq: tit. de Patribus. *Macarius, Antonius, Benedictus,* (vitæ Sanctimoniâ, Prophetiæ donô, miraculis, & aliis cœlestibus donis, Orbi universo notissimi) *cum suis Monachismis, magnum & notabile damnum, Ecclesiæ intulerunt.*

In Colloq: tit: de Schol: Theol: *Scotus, Bonaventura, Thomas Aquinas, fuerunt otiosi homines.* Siccine otiosi, qui tot doctissima, Ecclesiæque multùm proficua conscripsêre volumina? Si otiosi? cur ergo ipse idem Lutherus Lib: contra

Catha-

Catharinum, appellat S. Bonaventuram, *sanctissimum virum & incomparabilem, in quo multùm fuit Spiritûs.* Itèm. In Resolutionibus suis; de Indulg: sæpè, *Beati* & *Sancti* titulô, Thomam & Bonaventuram exornat, & Insignes Viros nominat? Universus verò Orbis testatur Orthodoxus, S. Thomam, esse Doctorem, vitâ, Sapientiâ, Scriptionis claritate, & sublimitate Angelicum: S. Bonaventuram, esse Doctorem Seraphicum: Venerabilem Scotum, esse Doctorem subtilem: Is tamen (inquit Ingeniosus Petrus Labbe, in Elogiis Sacris) subtilis esse non posset, nisì Angelicus esset.

De Patribus autem in Communi, inter alia dixit & scripsit Lutherus hæc.

Generaliter in Omnes Sanctos Patres.

In Colloq: Mens. tit: de Patribus. *Auctoritas Patrum, Auctoritatem Scripturæ, valde obscuravit & depressit. Nulla est Expositio Patrum ad Romanos & Galatas, in qua aliquid purum & sincerum reperiatur.*

Cùm Erasmus, contra Lutherum in Diatribe de libero arbitrio, produxisset, SS. Basilium, Chrysostomum, Cyrillum, Damascenum, Cyprianum, Hilarium, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, eósque, à vitæ Sanctimonia, & eruditione commendàsset. Respondit Lutherus in libro de Servo arbitrio contra Erasmum. *Si Urgeam, & postulem, quemnam inter omnes illos, quos jactas, certò possis monstrare Sanctum fuisse, vel esse, aut spiritum habuisse, aut vera miracula edidisse, arbitror te multùm, sed frustrà sudaturum esse.* Et tamen in Caput 5. Epistol: ad Galat: scripserat; quòd postquam Monachus esse desiit, viderit infinitos verè Sanctos & se, ex illis unum esse. Et libro Contra Latomum ait: *At, Sancti fuerunt,* (id est Patres Ecclesiæ) *& scripturas elucidârunt, inquis? Quis & hoc probavit, Scripturas esse elucidatas ab eis? Quidsi obscurârunt?*

Judicium Lutheri

Melanthonem, suum Grammatistam, ausus est Lutherus

de Melanthone, qui tamen Calvini Castris accessit.

rùs præferre omnibus Sanctis Patribus, & eum facere proximum S. Paulo Apostolo. Nam in Præfatio. in Annotationes Melanthonicas, super Epistolam ad Romanos, editas Argentorati Anno 1523. affatur Lutherus Melanthonem sic: *Sola scriptura, inquis, legenda est, citra Commentaria. Rectè de Hieronymo & Origine, & Thoma, hisque similibus, dicis: Commentaria enim scripserunt, in quibus sua potiùs, quàm Paulina, aut Christiana, tradiderunt. Tuas Annotationes, nemo Commentarium appellet, sed Indicem dumtaxat legendæ Scripturæ, & cognoscendi Christi: id quod hactenus, nullus præstitit Commentariorum, qui saltèm exstet* (scilicet ad Lutheri palatum & sensum, nullus meliùs, hoc est Lutheraniùs in Divum Paulum scripsit, quàm Melanthon, ùt bene notat Cornelius à Lapide in Prooemio in Epistolas Sancti Pauli) *Quin volumus Paulo suam quoque gloriam salvam, nè quando jactet aliquis, Philippum esse Paulô superiorem, vel æqualem; sufficit, te proximum Paulo esse.* Itèm, Melanthonis libellum de Locis Communibus, asserit Lutherus libro de servo arbitrio) *Canone Ecclesiastico dignum esse.* Cùm tamen has Annotationes suas, & illum Libellum, ipse Melanthon, plerisque in locis postea, erroris condemnaverit. Nam sæpè utrumque excudi fecit, multa detrahens, addens, mutans, corrigens: ut postremi illi libelli, cum primis, nulla ferè in parte conveniant, Teste Prateolo. Accesśitque Melanthon Calvino in doctrina de Eucharistia, ùt fatentur Joachimus Morlinus Lutheranus Prædicans, & Schlusselbergius lib: 2. de Theol: Calvin: pagina 95. Smidelinus, & alii: imò & ipse Calvinus idem testatur in suo libello contra Joachimum Westphalum. Melanthon etiam ipse, in Locis suis Argentorati, Anno 1523 impressis, scripsit: *Patrum Commentarios in scripturas, fugiendos esse velut pestem, solámque Scripturam lectitandam esse.* Et Smidelinus, ùt refert Sacramentaria Historia ad Annum 1523. Memmingæ, in Imperiali Svevorum Civitate, dixit;

Novatorum Judicia de Sanctis Patribus.

xit; ſe unum ſolium in Luthero, præferre omnium Patrum ſcriptis. Pomeranus itèm, qui Lutheri ætate fuit Paſtor Vitebergenſis, ejúſque amiciſſimus, in Caput 2. Petri evomuit hæc: *Non debetis Patribus credere, quia ex uno ore, frigidum & calidum efflant.* Verùm contra impiam, & palmariter mendacem cenſuram, utor verbis S. Auguſtini lib: 2. contra Julianum, & lib: 1. contra eund. Capite ſecundo. *Uſque adeo permiſcuit imis ſumma longus dies; uſque adeo tenebræ lux, & lux tenebræ eſſe dicuntur, ut videant Pelagius, Cæleſtius, Julianus,* (Lutherus, Melanthon Smidelinus, Calvinus &c.) *& cæci ſint, Hilarius, Gregorius, Ambroſius, Hieronymus, Baſilius, Chryſoſtomus, Cyrillus, Thomas &c. I nunc, & Sanctæ Eccleſiæ, tot tantóſque Doctores, qui vita optimè geſta, debellatíſque ſuorum temporum erroribus, Glorioſiſſimè de hoc ſæculo, antequam ebulliretis, exierunt, tanquam ſecurus inſulta.* Utor & verbis Joannis Caſſiani, Sancti Joannis Chryſoſtomi olim Diaconi, & Diſcipuli, Libr: 7. de Incarnatione cap: 30. *Tu ò impiiſſime atque Impudentiſſime Neſtori* (addo, Luthere, Melanthon, Calvine &c.) *præclaræ Urbis Contaminator, Catholicæ ac Sanctæ plebis, gravis & exitioſa contagio, ſtare in Eccleſia DEI, ac loqui audes, & blaſphemis ac furioſis vocibus tuis, Sacerdotes ſemper illæſæ Fidei, & Catholicæ Confeſſionis infamas: Magiſtrorum priorum vitio plebem Conſtantinopolitanæ Urbis* (Orthodoxi Orbis) *errare? Tu ergo emendator priorum Antiſtitum? Condemnator Veterum Sacerdotum? Tu Gregoriô excellentior: Tu Nectariô probatior? Tu Joanne* (Hieronymô, Baſiliô, Auguſtinô &c.) *præſtantior? omnibus Orientalium* (imò & Occidentalium) *Urbium Sacerdotibus? qui etſi non ejuſdem Nominis, cujus hi, quos nominavi, ejus tamen Fidei fuerunt? In vecti ſumus* (ſcribit Vincentius Lirinenſis, æqualis Caſſiani, in Libello de profanis vocum Novitatibus cap. 42.) *in Neſtorii ſceleratam præſumptionem* (Quidni multò magìs ſcelerata, nuncupanda eſt Lutheri præſumptio & contra eam inſurgendum?) *quòd Sacram Scripturam, ſe primum, & ſolum intelligere, & omnes eos ignorâſſe jactaret, quicunque ante ſe Magiſterii munere præditi, Divina Eloquia*

Defenditur Authoritas SS. Patrum.

tractavissent: Universos scilicet Sacerdotes, Universos Confessores, & Martyres, quorum alii explanâssent Dei Legem, alii verò explanantibus consensissent vel credidissent. Totam postremò etiam nunc errare, & semper errâsse asseveraret Ecclesiam, quæ, ùt ipsi videbatur, ignaros, erroneósque Doctores, & secuta esset, & sequeretur. Cùm tamen Christus, eos Pastores, & Doctores dederit Ecclesiæ suæ, eorúmque unanimem doctrinam, ut sequantur alii omnes fideles, præceperit, dicendo: Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit,* unde certum est, quòd omnes collectivè sumpti Doctores, & Pastores Ecclesiæ, errare non possint, circa aliquod dogma Fidei.

CAPUT III.

ASsero tertio Admiranda sunt Convicia Lutheri lata in Sacra Concilia.

Convicia Lutheri generaliter in Concilia.

PRobatur. Carolus quintus Imperator in Edicto suò contra Lutherum dato Wormatiæ, 8. Maji Anno 1521. inter alia sic Apud Florimundum fol. 101. habet: *Certissimô & omni exceptione majori testimoniô nobis constat, quòd pollutissimo & sceleratissimo ore propalari non est veritus Lutherus: Res Evangelii & Catholicæ Fidei nunquam fuisse in Conciliis Generalibus bene tractatas.* Et in Articulo 115. ex illis quingentis, quos Cochlæus collegit ex Libris Lutheri, sic ait: *Capite hoc Evangelium, quia neque Papæ, neque Conciliis, neque ulli hominum commissum est, ut constituat & concludat, quid sit Fides: ideo debeo dicere: Papa tu conclusisti cum Conciliis, nunc nos habemus, judicium num acceptare velimus, aut debeamus nec ne? Quare? Quia Papa non stabis pro nobis, non respondebis pro nobis, quando moriendum nobis est. Et falsam doctrinam nemo judicare potest, nisì Spiritualis homo: ideo res est insana, quòd Concilia Concludere & statuere volunt, quid credendum sit, cùm sæpè nullus vir sit ibi, qui Divinum Spiritum vel modicum olfecerit.*

Tomo

Tomo 3. Viteb: fol: 397. Parte prima §. 2. In formula Missæ: *Si quod Concilium* (inquit) *statueret, aut permitteret utramque speciem, nos nequaquam utrâque uti vellemus; sed in despectum Concilii, ejúsque Statuti, aut unâ, aut neutrâ & minimè utrâque uti vellemus: Maledicturi Universos, qui ex potestate aut Statuto Concilii, utrâque uterentur.* Et in Epistol. ad Nobilitatem Germanicam. ait: si de Sacerdotum conjugio aliquid statuere atque indulgere voluerit Concilium: se Sacerdotibus permissurum, ut potiùs tria scorta habeant, quàm unam uxorem ducant: Itèm in cap: 21. Genesis: *Quod Auctoritatem Patrum, Augustini, Gregorii, itèm Conciliorum prædicant; Respondemus: Nihil illa ad nos, nos verbum requirimus: Augustinus, & Concilia non sunt Verbum: non igitur in ipsorum viis ambulabimus, secundùm Christi dictum: In vias Gentium nè abieritis.*

In Concilium Nicænum

In libro de Conciliis Dicit Lutherus, se non intelligere Spiritum Sanctum in Concilio Nicæno primo, in quo Arius damnatus est, fuisse: cùm & castrationem prohibeat & contubernium fœminarum, rationéque hujus prohibitionis ausus est (ùt refert Aurifaber in Mens. Colloq. lib. de Matrimonio) vocare Patres Concilii Nicæni, Magnos Stupidos. Cùm tamen judiciô totius Antiquitatis, fuerint illi Patres, Flos Christianæ Religionis, pietate & doctrinâ præstantissimi. Ibidémque dicit, Nestorium & Eutychetem (Hæresiarchas) ex inscitia aliqua, & in modo loquendi lapsos: aliàs utrique zelum bonum, animum sincerum, & fidem bonam tribuit: totam verò causam tumultûs in Episcopos Catholicos, qui eos in Concilio Ephesino & Chalcedonensi damnàrunt rejicit. Itèm Lutherus ait in eodem lib: de Conciliis: *Majus lumen accedit doctrinæ ex Catechismo puerili, quàm ex omnibus Conciliis - Et quid opus est verbis? etiamsi omnium Synodorum decreta possint per infundibulum demitti in tuum corpus, tamen nondum esses Christianus, quia nimìs parùm conferunt.*

In Ephesinum & Chalcedonense.

In Constantiense. Concilio Constantiensi (in quo fuerunt Patriarchæ quatuor, Cardinales 29. Archiepiscopi 43. Episcopi 160. Abbatum & Prælatorum magnus numerus, aliíque celeberrimi ex variis Nationibus & Academiis Parisiensi, Oxoniensi, Pragensi viri & Doctores) quàm infensus fuerit Lutherus testatur Carolus quintus in suprà profato Edicto de Luthero dum ait: *Jam verò Sacro-sanctis Conciliis palàm contradicere & pro suo arbitratu detrahere non erubescit: è quibus potissimùm Constantiense illud, quod cum perpetua Inclytæ Germanicæ Nationis gloria, pacem & tranquillitatem dissidenti Ecclesiæ dedit, ità ubique mordet & impuro sceleratóque ore lacerat, ut in magnum Universalis Ecclesiæ dedecus, & offendiculum, sed Germanicæ præsertim Nationis opprobrium & ignominiam, Concilium ipsum, nunc pessimè errásse omnium scribat: nunc Synagogam Satanæ, quique in eo convenerant & Joannem Hussitam Hæresiarcham comburi jusserant, Sigismundum felicis recordationis Imperatorem, & Sacri Imperii Principes, Antichristum, & suos Apostolos, homicidásque & Pharisæos vocet. Quid, quòd damnata in eodem Concilio omnia Joannis Hussi errata, Evangelica & Christiana esse, & se recipere probaturúmque profitetur.* Et Par: 3. §. 14. de Confessione, Lutherus scribens. *Fidele* (inquit) *consilium meum est, ut homo Christianus tempore Quadragesimæ & Paschatis non confiteatur, nec ad Sacramentum accedat, & cogitet ità: Ecce quando hoc præcipit homo, Papa scilicet, ob id ipsum non faciam, & si non præcepisset, vellem facere: faciam autem alio tempore, quo non præcepit, quando & quomodo libera voluntas me tetigerit.* Et libro de Capti. Babylon. cap. de Eucharistia ait:

In Lateranense. *Videns, quæ esset Ecclesia, quæ determinásset in altari non esse verum Panem, verúmque vinum, sed sola accidentia, nempe Thomistica, hoc est Aristotelica.* (Falsum, quòd Thomistica, nam determinatum id in Conciliis variis, antequam Sanctus Thomas natus fuisset, ùt patet ex dicendis infrà Tractatu 3.) *Audacior factus sum, & stabilivi tandem conscientiam meam scientiâ prio-*

re;

re; esse videlicet verum panem, verúmque vinum, &c. Vide (ùt bene notat Cardinalis Hosius lib: 2. de legitimis Judicibus rerum Ecclesiasticarum) an non hoc est extremæ cujusdam arrogantiæ, vel dementiæ potiùs, si quis de decretis & Statutis, quæ in Conciliis Oecumenicis facta sunt, rectè nécne facta sint, sibi judicandi potestatem quis usurpet, eáque privatô suô sensu rejiciat & contemnat: Si semel admissa fuerit hæc impia licentia, ingens exscindendæ abolendæ omnis veræ Religionis periculum consequitur. Dicitur quidem. *Probate Spiritus, si ex DEO sunt,* sed non omnes probandi, ùt fallibiles, aliàs & ipsamet Scriptura Sacra probari deberet, ùt fallibilis. Porrò Concilia legitima Generalia habent auctoritatem infallibilem, & errare nequeunt in iis quæ ab eis vera esse, & Catholica Fide ab omnibus credenda ex instituto decernuntur, siquidem talia Concilia sunt Epitome quædam Ecclesiæ totius, súntque repræsentativè Universa Ecclesia, quæ est *Columna & firmamentum Veritatis* 1. ad Timoth: 3. Unde & S. Gregorius M. lib: 1. Epist: 24. ait: *sicut Sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere, & venerari me fateor: Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum Primum, Chalcedonense.* Imò & ipse Calvinus: *Priscas Synodos,* (inquit lib: 4. Instit: cap: 9. secti: 8.) *ùt Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam Primam, Chalcedonensem, ac similes amplectimur, reveremúrque ùt Sanctas, quantum attinet ad Fidei dogmata.*

Quanta hinc Lutheri dementia.

CAPUT IV.

ASsero quarto. Admiranda sunt Convicia Lutheri in S. Moysen & Libros Scripturæ Sacræ.

Convicia Lutheri in S. Moysen.

PRobatur. Nam de Moyse habet hæc In Colloq. sympo. tit: de lege & Evangelio: *Moyses est omnium Carnificum*

cum Magister, eúmque nemo vel æquat terroribus incutiendis, cruciatibus, tyrannide, minis: Et id genus aliis sermonum fulminibus, & tonitruis: asperrimè aggreditur Conscientiam, terret, angit, excarnificat, catastis & fiduculis. Et alibi dicit: *Moysen lapidibus ipsemet obruam: quia propriè pertinet ad contumaces & perfractos homines.* Et tamen Scriptura dicit Numer: 12. *Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra.* Et usque eò propter modestiam, omnium sermone celebratus, ut Platoni, ejus modestia & mansvetudo, tanquam exemplar ad imitationem proponeretur: ùt testatur Constantinus Magnus Imperator in Oratione sua apud Eusebium cap: 17. Ecclesiastici etiam 45. dicitur: *Dilectus DEO & hominibus Moyses, cujus memoria in Benedictione est, in fide & lenitate ipsius Sanctum fecit illum.* Jam quid de Libris aliquibus Sacræ Scripturæ censeat Lutherus, audiamus.

In librum Job.

In Colloq. Mens. Tit. de Libris Antiqui & Novi Testamenti; & Tit. de Patriarchis & Prophetis ait: *Argumentum Libri Job, est ferè ùt Argumentum fabulæ - Scriptor hujus Libri scripsit eo modo, quo Terentius scripsit suas Comœdias? nimirùm ut patientiæ nobis exemplum proponeret: & sicut Virgilius describit illum invictum Heroem Æneam. Non credo, facta omnia esse eo modo, quo in Libro Job referuntur. Nec ità locutus est, sicut in Libro ejus locutus esse scribitur.* Et tamen Spiritu vertiginis incitatus, iterum dicit: *Judico Librum Job esse veram Historiam, est vetus & nota admodum Historia, & ità evenit re & opere: Sicut Job locutus esse scribitur.*

Tobiæ.

Ibidem. *Liber Tobiæ est Poëma, in quo de mulieribus agitur, & exemplar administrandæ familiæ.* Et cum Justus Jonas Prædicans, librum hunc à se germanicè versum, Luthero offerret, Munus oblatum ornavit his verbis: *Multa in hoc libro ridicula & stulta contineri; præsertim illud de tribus noctibus, deque*

jecore assati piscis, quô Dæmon sit fugatus. Respondit Lutherus : *Esse figmentum Judaicum.*

Judith.

Ibidem. *Liber Judith non est Historia, sed Poëma, seu figmentum: Sanctum tamen, & moribus instruendis utile, compositum ad imitationem Virgilianæ Æneidos & Homericæ Iliados.*

Paralipomenon.

Tit: de Novo Testamento. *Libri Regum præcedunt centum & mille cubitos Scripta Chronicorum,* (hoc est Paralipomenon) *ideo Libris Regum plus credendum est, quàm Libris Paralipomenon.*

Ecclesiastæ.

Tit: de Libris Veteris & Novi Testamenti : *Auctorem Libri, qui Ecclesiastes inscribitur, sibi videri* (inquiebat Lutherus) *Ocreis & calcaribus destitutum, equitare tantùm in soccis, quemadmodum ipse soleret, cùm adhuc esset in Cœnobio - deberet esse plenior - est sicut Thalmud, ex variis Libris consarcinatus.*

Machabæorum.

Ibidem. *Ego adeò* (inquit Lutherus) *librum hunc* (secundum Machabæorum) *& Ester odi, ut cupiam ullo modo exstare, quia nimìs judaizant, & habent multos Ethnicos mores malos.* Itèm in Prologo super Libros Machabæorum. *Primus Liber Machabæorum, tam dignus est ut recipiatur in Canonem ; quàm dignus est secundus, ut indè rejiciatur.*

In Evangelia SS. Mathæi, Marci, & Lucæ &c.

In Præfat. Lutheri in Novum Testamentum: *Joannis Evangelium est unicum, pulchrum, verum & principale Evangelium, aliis tribus Longissimè præferendum & anteponendum.* Itèm. *Joannis Evangelium & Epistolæ Sancti Pauli præsertim illa ad Romanos, & Prima Sancti Petri, est verus nucleus & medulla, inter omnes Libros Novi Testamenti.* Itáne alia Evangelia & Epistolæ Canonicæ, sunt putamina ; vel nucleus & medulla non vera ?

Tomo primo Operum German. ab Aurifabro editorum. *Summa: Evangelium Sancti Joannis, ejúsque prima Epistola : Epistola S. Pauli, præcipuè ad Romanos, Galatas, Ephesios, & Prima Sancti Petri, sunt Libri illi, qui tibi Christum monstrant.* (Siccíne Evangelia alia non monstrant Christum ?) *quíque te viam docent.*

cent. Quocirca Epistola Sancti Jacobi, verè est straminea Epistola, respectu Evangelii Sancti Joannis, quia non continet ullum Evangelicum (credo Evangelii 5.) *in se Spiritum.* Lutherus in Prooemio in hanc Epistolam. *Epistola ad Hebræos durum quendam nodum habet. Quòd capite sexto & primo directè neget pœnitentiam peccatoribus post Baptismum. & Capite 12. dicat: Esau quæsivisse pœnitentiam, nec invenisse. Quod, sicut sonat, adversari videtur omnibus Evangeliis & Epistolis Sancti Pauli: & quamvìs glossa addi queat: Verba tamen tam sunt clara; ut nesciam, quæ glossa sit futura satìs. Mihi videtur Epistola ex variis consarcinata frustis, neque de uno ordinatè agens.*

In Epist. Divi Pauli ad Hebræos.

Lutherus in Præfat: in hanc Epistolam. *Nolo hunc Jacobum meis in Bibliis ferre inter primarios libros. In rebus Politicis, vir unus, vir nullus est. Qua igitur ratione iste solus, contra Paulum, & reliquam scripturam universam, pondus & auctoritatem obtineret?*

In Epist. S. Jacobi.

In Præfat. in Apocal. *In Libro Apocalypsis plura desidero, ut neque Apostolicum, neque Propheticum judicem - ferè similem existimo Libro quarto Esdræ: nec ullo modo animadvertere possum, à Spiritu Sancto profectum esse - Spiritus meus non potest se huic Libro accommodare.*

In lib. Apocalypsis.

Sed prædicta judicia Lutheri esse graviter erronea, constat sufficienter ex eo: Quia prædicti Libri, scilicet Job, Tobiæ, Judith, Paralipomenon, Ecclesiastæ, Esther, Machabæorum, Epistola ad Hebræos & Sancti Jacobi & Apocalypsis, in Canone Divinarum Scripturarum, proinde omnino infallibilis auctoritatis, reposita sunt ab Ecclesia Orthodoxa, declarando prædictas scripturas, esse Canonicas: hunc Canonem & declarationem, approbavit Innocentius Primus Epistola tertia ad Exuperium, cap: 7. qui vixit circa Annum Christi quadringentisimum; approbavit Concilium Carthaginense tertium, in quo fuerunt ducenti septemdecim Episcopi; inter quos & Sanctus Augustinus; hócque Concilium

Auctoritas librorum Scripturæ Sacræ, Propugnatur.

cilium à tota Ecclesia est receptum, quò ad dogmata fidei: approbavit Gelasius Papa cum Concilio Romano, in quo fuerunt Episcopi 70. Florentinum itèm Concilium, in quo fuerunt Episcopi 141. inter quos multi græci ritûs Episcopi, & Imperator Orientis; Demum confirmavit Concilium Tridentinum; hujus omnia decreta, sub finem Concilii, denuo sanxerunt sex Cardinales, quatuor Legati, Patriarchæ tres, Archi-Episcopi triginta duo, Episcopi ducenti viginti octo, Abbates quinque: Generales Ordinum Ministri septem: Episcoporum Procuratores plurimi.

Accedit tum quia Sanctus Hieronymus (quidquid sit quod antea in Prologo Galeato senserit) testatur, Librum Judith esse Canonicum, & hoc probat Auctoritate Concilii Nicæni, dicens in Præfatione super Lib: Judith: *Nicæna Synodus hunc Librum in numerum Sanctarum Scripturarum legitur computâsse.* Et Sanctus Augustinus lib: 18. de Civitate, cap: 8. ait: *Machabæorum libros, non Judæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet.* Utique major est Ecclesiæ Christianæ Auctoritas, quàm Judæorum? Tum quia Tobiæ librum, tanquam Scripturam Sacram citant Sancti Patres, Irenæus, Cyprianus, Hilarius, Ambrosius, Chrysostomus, & alii, Sanctus etiam Isidorus Episcopus Hispalensis, qui floruit circa annum 630. in Libro Prooemiorum de libris Veteris ac Novi Testamenti dicit: *Hebræi non recipiunt Libros Tobiæ, Judith, & Machabæorum: Ecclesia tamen eosdem inter Canonicas Scripturas enumerat. Sapientia & Ecclesiasticus parem cum reliquis Canonicis Libris, tenere noscuntur Auctoritatem.* Tum quia Librum Job pro Canonico habent tam Lutherani, quàm Calvinistæ; imò ex illis plurimi cum Beza, etiam Apocalypsim. Calvinistæ itèm cum suo Calvino admittunt, ùt Canonicam Epistolam ad Hebræos, ac Sancti Jacobi, & Judæ Apostoli, quin ipsemet Calvinus Præfatione in Epistolam S. Jacobi; ait: *sunt etiam hodie, qui hanc*

auctoritate dignam non censeant. Ego tamen, quia nullam ejus repudiandæ satìs justam causam video, libenter eam sinè controversia amplector, nihil illa continet Christi Apostolô indignum.

Nota obiter primò. Nullus est ex Patribus antiquis, qui in omnibus, quò ad Canonem librorum Sacræ Scripturæ, senserit cum Hæreticis modernis, aut eorum Parente Luthero. Secundò. Nec moderni Hæretici Calvinistæ de quibusdam Partibus Scripturæ Sacræ dubitant, ùt Apocalypsi, Epistola secunda S. Petri, secunda & tertia S. Joannis; Epistola Sancti Jacobi, & Sancti Judæ; licèt de his antea fuerit dubitatum, Lutherani etiam, tanquam Canonicum librum recipiunt Apocalypsim; imò & ipse Lutherus, præfatione in Apocalypsim, posteriorum editionum. Tertiò Licèt non omnes Canonicæ Scripturæ libri, eodem simul tempore, ab Universa Ecclesia Catholica recepti fuerint, tamen semper apud quasdam Ecclesias, Canonica etiam Auctoritate viguerunt. Quartò. Quæcunque ab hæreticis objiciuntur contra Canonem librorum Scripturæ Sacræ, omnino fictitia esse, demonstrat Bellarminus lib: primo de Verbo DEI: Et Gretserus in Defensione ejusdem libri.

CAPUT V.

Superbia, Mater Hæresis.

ASsero quintò. Admiranda est Lutheri superbia.

SAnctus Augustinus libro de Pastoribus cap. 8. rectè dicit: *Mater superbia, omnes Hæreses genuit:* Bene hac in parte etiam Calvinus in lib. de scandalis notavit. *Quotquot,* (inquit) *hac nostra ætate à pura Evangelii doctrina prolapsi, falsorum Dogmatum cœperunt esse Auctores; reperiemus omnes superbiæ morbô correptos.*

Porrò, admiranda quantum fuerit Lutheri Superbia suffi-

ſufficienter (præter dicta alibi paſſim in hoc Libro) colligi poteſt ex his. Nam adeo initio ſtatim ſuæ Hæreſis, tumidus fuit Lutherus, Lutherus inquam ille, qui de ſe ipſo fatetur. (Tomo ſecundo Latin: Colloq: tit: de Artibus: & in Colloq. Germ. tit. de Aſtrologia) *Ego ſum* (inquit) *ruſtici filius, proavus, avus, pater meus, fuerunt natura ruſtici - Pater meus dictus Joannes, fuit metallorum foſſor.* Mater ejus balnei publici ſervula: qui itèm doctrinæ & eruditionis non fuit eminentis; ùt patet ejus legenti ſcripta, Sanctitatis verò nullius, excucullatus apoſtata, adeo inquam tumidus fuit; ut paucis ad ſe aditum concederet, ſic, ut Carolo Miltitio, Papæ Nuntio, ægre, & ipſius Ducis Saxoniæ interceſſione, bis ipſius videndi, atque colloquendi poteſtas facta, ſit, de quo ipſe Lutherus poſtea ſæpe eſt gloriatus.

Ingens ſuperbia Lutheri, factô & Scriptis exhibita.

In Epiſtola ad Illuſtriſſimos Saxoniæ Principes. *Scio* (inquit Tomo ſecundo Epiſt.) *& certus ſum, me omnibus Sophiſtis, & Papiſtis, Sacrarum Literarum eſſe peritiorem.*

Itèm in prima Concione ex illis ſeptem quas Vitebergæ habuit, redux ex ſua Pathmo, ait: *Primus profectò fui, cui DEUS, primò omnium manifeſtavit, ut hoc ſuum verbum vobis annuntiarem, & patefacerem: Certus ſanè ſum; vos purum putum verbum poſſidere.* Itèm in Gloſſa ſuper Edicta Cæſarea Anno 1531. Tomo quintò Jenenſi Germanico. *Aſſero ego Doctor Martinus Luther, Domini noſtri JESU Chriſti indignus* (veriùs, iniquus) *Evangeliſta.* Sic olim & Manichæus Hæreſiarcha, à ſe, & à ſuis vocabatur, Apoſtolus JESU Chriſti, ùt teſtatur Sanctus Auguſtinus in Epiſtola Fundamenti, & alii. Otho etiam Brunfelſius apoſtata deſertor ſui ſacri Ordinis, in epiſtola, quà Luthero Opuſcula quædam Huſſi inſcripſit, vocat Lutherum: *Apoſtolum Chriſti.* In Reſponſo ad Maledicum ſcriptum Regis Angliæ, Reges, Principes, Pontifices Catholicos, poſtquam impios eſſe aſſeruit, ſubjungit: *Impiis*

me esse peccatorem planè pernego, & illos vix dignos censeo, qui mihi calceamenti corrigiam solvant. Liberè dico, per me Sacram Scripturam ità repurgatam, illustratam esse; ut intrà annos mille, nunquam fuerit clarior vel notior pluribus. Et in libro contra Regem Angliæ ait: se nihil curare, si mille Augustini, mille Cypriani, contra eum starent. Itèm in libro ad Ducem Saxoniæ Georgium scribit: *A tempore Apostolorum, nullus Doctor aut Scriptor, nullus Theologus, aut Jurisconsultus, insigniter & clarè conscientias sæcularium statuum, confirmavit, instruxit, ac consolatus est, sicut ego feci. Scio, quoniam nec Augustinus, neque Ambrosius, mihi in hoc, æquales sunt.*

Itèm in Concione super Evangelium: Attendite: *Adferunt dictum illud Augustini: Evangelio non crederem, nisì me auctoritas Ecclesiæ moveret; & jam arbitrantur se victoriam obtinuisse, sed tu dic: quid meâ refert, quid ego curo, sive Augustinus dicat, sive Hieronymus, sive Petrus, sive Paulus, imò sive ipsemet Gabriel Archangelus: nihil horum mihi prodest: Verbum DEI debeo habere. Audiam quid loquatur DEUS.* Siccíne, quod Doctores Ecclesiæ, & Apostoli loquuntur, non erit verbum DEI. Et verbum DEI erit, quidquid (verbis utor Sancti Augustini lib: de Unitate Ecclesiæ cap. secundo) *Sacrilegus incestator, consecratæ pudicitiæ fæminarum*, Lutherus effutit?

Tomo secundo Epist: fol: 129. *Totus Faber* (fuit is Episcopus Viennensis, apprimè doctus & zelosus, multorúmque Voluminum scriptor contra Lutherum) *nihil est, nisì Patres, Patres, Patres, Concilia, Concilia, Concilia, quæ fabula, jam dudum mihi, surdo, etiam à nostris Lipsiensibus Theologis, imò Asinis, deruditur. Ego Patristas, Conciliistas, Copulatistas istos contemnam, ac præterire sinam.* Sed justus es Domine, & rectum judicium tuum. Impletum est in Luthero illud Scripturæ Sacræ Isaiæ 33. *Væ qui spernis, nónne & ipse sperneris - Cùm fatigatùs desieris contemnere, contemneris.* Comtempsit ille Patres, Concilia, Eccle-

Lutherus à suis etiam, contemptus.

Ecclesiam: & en, & ipse à suis contemptus est: & quidem à Vitebergensibus: quorum Civitatem, triginta novem annis docuerat, contemptus adeò graviter, ut sui contemptum non ferens, Vitebergam, anno millesimo quingentesimo quadragesimo quinto, deseruerit, & Merseburgi, apud Ducem Georgium Anhaltinum, aliquamdiu delituerit: ex quo loco, ùt referunt Historiæ Augustanæ Collectores, ad suam uxorem (veriùs pellicem sacrilegam) scripsit; *Ut ipsa quoque domô, ac suppellectile divendita, ad se commigraret: Siquidem eam Vitebergæ rationem, post mortem suam futuram esse; ut nullum ex quatuor mundi elementis, eam illo in loco facilè tolerare possit.* Hæc postea Vitebergâ aufugiens, equis in furiam actis, in coenosam paludem excussa, post semper pavida & trepida, obiit misere. vel, ùt alii referunt, in piscina Monasterii olim Augustiniani, in quo cum Luthero habitaverat, crematô ebria, aquis præfocata est: Nulláque exstat Concio funebris, nullúmque Epitaphium istius Borrhæ, nec Vitebergam translata est, ut penes Lutherum suum consepeliretur. Cùm tamen Lutheranum Evangelium, propemodum omnia (ùt notârunt multi) debeat Borrhæ, si enim amor venereus Lùtherum non incendisset; forsan nunquam cucullô se exuisset. *Catharinæ uxoris Lutheri, obitus.*

Contemptus itèm Lutherus à multis suæ sectæ Primatibus & familiaribus, utpote qui Dogmata, ipsius doctrinæ opposita, pertinaciter docuerunt; ùt Joannes Brentius, Pater Ubiquitatis; Martinus Bucerus in Christianismo inconstantissimus: Georgius Major, Mollium Confessionistarum Parens, multi itèm alii Professores Lutherani, ipsimet Luthero, de Calvinismo suspecti erant. Quare in Vestibulo Musæi sui, hæc verba propriâ suâ manu adscripta erant. *Nostri Professores examinandi sunt de Cœna Domini.* Imò, quod magis mireris, Philippus Melanthon, anima Lutheri, eóque judice, Sanctis Patribus omnibus excellentior, imò Sancto Paulo Apostolo proxi-

proximus, de præſentia Corporis Chriſti non cum Luthero, ſed cum Calviniſtis ſenſit; Inſuper accuſatus & convictus à Lutheranis ipſiſmet, quòd ſcripta Lutheri, poſt mortem ejus, falſificaverit in gratiam Sacramentariorum; quos tamen à Diabolo obſeſſos eſſe, & animarum eſſe mactatores, ſcripſit disertè ipſemet Lutherus, Libro de verbis Coenæ. Andreas etiam Carolſtadius, quondam primarius in fundando, & promovendo 5. evangelio, Lutheri ſtrenuus adjutor, plurimùm poſtea contempſit Lutherum; ùt notavimus ſuprà in Tractatu 1. cap. 10. Quantum autem Carolſtadiani eum contempſerint, deſcribit ipſemet Lutherus Tomo 7. in Epiſtola ad Argentoratenſes. *Cùm* (inquit) *Orbemundam veniſſem; inveni; quòd ſemen ibi ſeminatum fuerit à Carolſtadio; ità, ut gauderem, lutô & lapidibus me non exploſum. Nonnulli hâc me Benedictionis formâ dimittebant: Eja proficiſcere in nomine mille diabolorum, ut caſu guttur elidas, antequam urbe egrediare.* Demum Tomo 9. fol: 252. in Epiſtola ad Nicolaum Hauſmannum ſcribit Lutherus: *Sacramentarii, liberi, è corpore meo geniti; acerrimè mihi contradicunt; præ quorum furore, Papiſtas mites & modeſtos judico.* Et in Reſponſione ad maledicum ſcriptum Regis Angliæ; *Nullos hoſtes capitaliores ſum expertus hactenus, quàm ſvaves illos Fratres, Collegas, Amicos, quos tanquam filios in ſinu noſtro fovimus, Sacramentarios.*

Contemptus Lutherus à Carolſtadianis, & aliis.

CAPUT VI.

ASſero ſexto: Admiranda eſt Lutheri maledicentia.

Hæreſiarcharum proprietas eſt, Maledicentia.

OTto Friſingenſis Epiſcopus, qui floruit anno 1145. Henrici 4. Imperatoris Nepos, Hæreſiarcham Arnaldum Brixienſem (qui circa annum 1140. in Lateranenſi Concilio

cum

cum Petro Abailardo damnatus eſt) deſcribit ſic Lib: ſecundo de Geſtis Frid: cap: 20. *Arnaldus Brixienſis ſub ovina pelle lupum gerens: Vir quidem naturæ non hebetis, plus tamen verborum profluviô, quàm ſententiarum pondere copioſus, ſingularitatis amator, novitatis cupidus, cujusmodi hominum ingenia ad fabricandas hæreſes, Schiſmatúmque perturbationes ſunt prona - Omnia lacerans, omnia rodens, nemini parcens, Clericorum ac Epiſcoporum derogator, Monachorum perſecutor, Laicis tantùm adulans.* Et Sanctus Epiphanius hæreſi 75. deſcribens Aërium hæreſiarcham ait: *Aërius exortus eſt, magnum Mundo malum, furioſus mente, elatus opinione, acutus linguâ & armatus labiis - - erat ipſi ſermo furioſus magìs, quàm humanæ conditionis.* Hæc omnia perbellè conveniunt Luthero: in hoc tamen inter alia, ſuperat Arnaldum Lutherus, quòd nec Arnaldus, nec ullus unquàm antea Hæreſiarcha, imò vix unquam ullus Chriſtianus homo exſtiterit maledicentior, & univerſalior calumniator, quàm fuerit Lutherus. Itèm, quòd nec Principibus, nec Laicis linguâ ſuâ & calamô maledicô pepercerit.

Leo X. à Luthero laudatus.

Quàm bene & honorificè, adhuc anno 1518. Lutherus ſcripſerit de Papa, & Romana Eccleſia, conſtat ex dictis ſupra in Tractatu primo cap. tèrtio. Ad Leonem itèm primum Pontificem Anno 1520. ſexta Aprilis ſcripſit hæc (exſtat Tomo ſecundo Epiſt: 166.) *Celebratior, & auguſtior eſt in omni terrarum Orbe, tot tantorúmque virorum literis, cantata opinio, & vitæ tuæ inculpata fama, quàm, ut à quovis, vel maximi Nominis, poſſit quavis arte impeti - Non ſum tam ſtultus; ut eum inceſſam, quem nemo non laudat.* Et in Lib. adverſùs Anabaptiſtas, ſcribit: *Fatemur, ſub Papatu multa bona ad nos promanâſſe. Nempe veram Scripturam Sacram, verum Baptiſmum, veras claves ad remittenda peccata, verum prædicandi officium, verum Cathechiſmum.* Sed tamen his ſtantibus, adverſùs Papam, & Clerum inexplicabilis ejus fuit maledicentia; ut præter alia abundè

Horrenda Maledicentia Lutheri adversus Pontifices Romanos.

abundè testatur liber ab illo compositus cui titulus. *Adversus Papatum, Romæ à Sathana fundatum.* Plenus hic liber est horrendis fœdissimísque blasphemiis: inter alia scribit hæc: *Paulus tertius, imò quivis Papa, est scelestissimus, infernalis, diabolicus homo, porcus, epicureus, indoctus, rudis, asinus, Apostolus diaboli, multis millenis diabolis obsessus, idolum, Dæmon, cerpitus asininus. Audi Paule Papa, cum tuis Cardinalibus: Deum non curas, nam estis porci epicurei, similiter omnes Papæ Antecessores tui, Papæ sunt desperati & perditi nebulones, latrones, proditores, mendaces, & ipsissima sentina omnium sceleratissimorum hominum, qui vivunt; pleni sunt dæmonibus omnium pessimis, qui apud inferos agunt: & tam pleni, ut nihil, nisi meros dæmones expuere cacare, & emungere possint.* Ibidem decernit, ut Pontifex & Cardinales, ac reliqui ejus Ordinis, ùt blasphemi puniantur, linguis per cervicem extractis, & patibulo affixis. Leonis Papæ nuper laudati, Imaginem variis modis à se depictam habuit, jam adinstar cornuti Diaboli, jam sub forma Midæ habentis asini auriculas, jam sub figura serpentis aperta ingluvie & faucibus minantis. Nec Phocius impius S. Ignatium cui inimicissimus erat, sic unquam fœdè curabat depingi.

In Passionali Lutheri, erat Passio Christi, ubi Pontifex, Cardinales, Episcopi, Monachi, Annæ, Caiphæ, Pilati, Herodis, lictorum & carnificum Christi, personas gerunt. Scripsit ille in Assertione Articulorum, Articulo 34. *Qui habet aures audiat, & à bello Turcico abstineat, donec Papæ nomen sub cælo valet.* & in Lib: contra Regem Angliæ: *Papatus, est Principis Satanæ pestilentissima abominatio.* In Caput 24. Genesis: *Ego* (inquit) *non approbabo, nec defendam errorem & stultitiam Canonistarum, sed percacabo Canones & Papam.*

Adversus Episcopos.

Libro de Abroganda Missa, & Libro contra falsò nominatum statum Ecclesiasticum. *Episcopi* (inquit) *sunt Apostoli Anti-Christi, sunt indoctæ Larvæ Papales, quæ ad veritatem opprimendam*

mendam creatæ ſunt. Præſtat publicum Lenonem aut latronem eſſe quàm Sacerdotem Papiſticum. Sacerdotes ſunt Idola mundi, Idola vaſa & oleata.

Archi-Epiſcopum Moguntinum & Magdeburgenſem, Primatem Germaniæ ac Marchionem Brandeburgicum nomine Albertum, Lutherus Tomo ſexto Germ: Jenen: pagina 533. vocat *Scribam inferni, Diabolum, ſtercoreum Epiſcopum.* In Lib: contra Regem Angliæ ſcribit; *Thomiſta, eſt Sacrilegus & mortificus Scripturæ Dei latro, ſtupidum & planè Lethargicum Sophiſtarum genus: ut nihil groſſius & ignavius genuerit hominum natura; inſulſiſſimi aſini, & porci, nec ſunt Theologi, ſed Theologiſtæ, & Theologaſtri, & fex noviſſimarum abominationum, &c.* Et in Præfatione in Ennarratione ſuper Matthæum: *Thomiſtæ ſunt immundi porci, inertes aſini, dextra manus aſini Papiſtici, perditiſſimi Sycophantæ: ars illorum aſinina eſt, fimus, ſtercus diabolicum.* Itèm Lib: contra Latomum. *Ego planè illud verum nunc video, Thomiſtam purum, eſſe aſinum verum, ſive ſit Italus, ſive Germanus.* Aſt libet hic paucis immutatis, cum S. Hieronymo ſuprà citato, cap: ſecundo dicere. Catholici, Thomiſtas doctiſſimos, antiquæ Fidei Defenſores eſſe deprædicant: & quod ſignum majoris gloriæ, omnes Hæretici, præſertim omnium modernorum Hæreticorum ſacrilegum caput, Lutherus, deteſtatur.

In Epiſtol: contra duo Cæſaris Mandata: *Mendaces* (inquit) *& obſtinati ſunt Principes noſtri, nec Homines ratione præditi, ſed Germanicæ Beſtiæ.*

Adversùs Cæſarem, & Principes Chriſtianos.

In Lib: contra Epiſt: Regis Angliæ, Vos Principes, *eſtis bullæ aquarum, & Lendes capitis, nondum facti pediculi.* Contra duo Imperatoris mandata Anno 1524. *Turca decies probior, prudentiórque eſt, quàm noſtri Principes. Quid talibus fatuis contra Turcas eveniet proſpere?* vide & dicta ſuprà Tractatu primo cap: tertio.

Canoniſtas.

In Colloq: Menſ: Titul: de Juriſtis. *Canoniſta eſt diaboliſta,*

lista, & asinista, merúsque Diabolus. Canonista purus, est magnus asinus. Juristas. *Juridica facultas, omnium est spurcissima: ab omnibus artibus aliena, neque legibus Romanis fundata, sed tantùm rabolismus quæstuosus. Omnis Jurista aut est nequista, aut ignorista: & Juristæ sunt inimici Christi, impii, blasphemi, nihil, chimæra, asini, bestiæ, filii dæmonis, & ejus discipuli, socii Luciferi damnati. Quando loquor de Juristis* (inquit Tomo quinto Jenensi German. sermon: de liberis ad Scholam mittendis) *non tantùm intelligo Doctores sed totum opificium, ùt Cancellarios, scribas, Judices, Advocatos, Notarios, & quidquid ad rectam Reipublicæ gubernationem spectat, etiam Summates illos, qui Consiliarii Aulici audiunt; nam & ipsi artem Juris factitant, & Juristarum functionem obeunt.*

Tomo primo German: in Lib: ad Nobilitatem Christianam: *Bonum foret, si Jus Canonicum, à prima litera usque ad ultimam, funditus aboleretur, præsertim decretales: & nullus sit amplius Doctor super terram.* Hoc Lutherus scripsit Anno Domini 1520. ipsum autem Jus Canonicum publicè exussit Vitebergæ, 10. diè Decembris, simul cum Bulla Leonis X. Anno 1519.

In Opusculo, cui Titulus: Contra siccarium Dresdæ; *Hoc debet esse mea gloriatio, meúsque honor, quòd in libro meo* (imò omnibus libris) *ferè nonnisì maledicta, & diaboli nominentur, sic haberi volo, ut dicatur de me: quòd plenus sim maledicentiæ, criminationis, & execrationis in Papistas. Volo & de cætero me adversùs hos nebulones exercitare execrationibus ac maledictis usque ad sepulturam meam.*

Tantam maledicentiam, & superioribus capitibus recensita convicia, sales, & dicteria Lutheri, si quis legerit, nónne approbabit olim ab Erasmo lib: 18. Epist: ad Episcopum Lingonensem verissimè scripta esse hæc: *Lutherus, in dicteriis, in sannis, in conviciis, in salibus, quemlibet scurram vincit*, Et alibi. *Hic homo Lutherus, nihil crepat, nisì satanas, diabolos, Larvas, Lamias, Megæras, aliásque voces, plùs quàm tragicas.*

Ex

Ex tam virulenta maledicentia, evidens eſt, in Luthero non fuiſſe ſpiritum Chriſti, ſvavem, benignum, mitem, veritatis & pacis amatorem, & Conciliatorem; ſcandalorum & contentionum, & diſcordiarum Pacificatorem, ſed potiùs fuiſſe ſpiritum malignum, horum contrariis gaudentem, & Lutherum ad talia evomenda impellentem, ut veriſſimè ſcripſit Adrianus VI. Pontifex in ſuis literis, ad Bambergenſes: quæ extant Tomo ſecundo Lat: Viteberg:

Adverſio Orthodoxa, contra tantammaledicentiam.

Neque dicas, Lutherum tanta dixiſſe, Spiritu Eliæ.. Contra enim eſt ; tum quia nunquam Elias legitur idololaſtricos Principes Iſraëliticos, & Baaliticos Sacrificulos, ità unquam irreverenter compellàſſe ; ùt Lutherus Summos Pontifices, Imperatorem, Reges, & Principes Chriſtianos : neque Apoſtoli unquam taliter invecti ſunt in Neronem, vel alios Perſecutores &c. nec S. Paulus in Hæreticos, & falſos Fratres ; tum quia ſi iſte Spiritus Eliæ eſt, & Dei, tam inquam maledicus, & contumelioſus ; & quisnam erit Spiritus Diaboli ?

Jaobus Gretſerus, fortiſſimus Athleta ac vigilantiſſimus Veritatis Defenſor, magnus Lutheranorum Domitor, ac Malleus Hæreticorum, rectiſſimè in Examine Strenæ Lauſerianæ cap: tertio ait : Ego profectò quoties Lutheri genium & Indolem, potiſſimùm verò diabolicam ejus perpetuò conviciandi, & criminationibus denſiſſimis fulminandi conſvetudinem, penitùs introſpicio : attonitus quoddammodo afficior præ admiratione, quomodo fieri potuerit, ut talis Convitiator, apud Germanos (imò & apud alias quasdam Nationes) fidem repererit, & pro eximio Chriſti Servo ſuſceptus fuerit: Si quis in Túrcicos & Ethnicos Popas, & Japonicos Bonzios, ſicut Lutherus in Eccleſiaſticos, & Principes Chriſtianos detonaret, conviciando : eum

non Spiritu Dei agi, ſed dæmonis œſtro percitum intrepidè affirmarem. Bene etiam in Epiſt: ad Fratres Inferioris Germaniæ, notavit Eraſmus. Omnes objurgationes, quæ à Domino Chriſto & Apoſtolis jactæ ſunt contra Phariſæos, Judæos, Pſeudo-Apoſtolos, *videri poſſunt blandimenta, ſi conferantur cum his, quæ quidam Evangelici* (& in his præſertim Lutherus) *Scripſerunt in Pontificem, Epiſcopos omnes, Sacerdotes, & Principes Chriſtianos.*

TRACTATUS TERTIUS.

Exponuntur admirandi errores contenti tum in Lutheri Doctrina, tum in ejusdem Doctrinæ Confirmatione: tum in datis ab eo variorum casuum Resolutionibus.

CAPUT I.

ASsero primò. Admirandi sunt errores in Lutheri Doctrina, utpote quæ in pluribus è diametro sibi opponitur.

PRobatur hoc ipsum inductione aliquorum tantummodò; si enim annotarentur singula, in quibus sibi opposita docet Lutherus, volumen grande conficeretur: à condito enim orbe (ùt testatur gravissimus Theologus Leonardus Lessius in Consultatione: Quæ Religio capessenda, in Ratione sexta, aliíque plurimi Sapientissimi) non exstitit ità inconstans scri-

ſcriptor, ità ſui immemor, ſibíque contrarius, & ſuæ doctrinæ everſor, ùt Lutherus.

De Communione ſub utraque Specie.

I.

Contradictiones Lutheri, de Communione.

Quamvìs (inquit in ſerm: de Euchariſtia Tomo ſeptimo German. Viteb:) *Populo nunc non datur utraque ſpecies, ſicut olim, neque eſt neceſſe; tamen ſacerdotes utramque ſumunt quotidie coram Populo, & ſatìs eſt Populum quotidie deſiderare & ſuo tempore alteram ſpeciem, quantum ordinat & dat Eccleſia Catholica, ſumere.*

Negare (lib: de Captiv: Babyl:) *utramque ſpeciem Laicis, eſt impium & tyrannicum, nec in manu ullius Angeli, nedum Papæ, aut Concilii cujuſquam.*

II.

In Declaratione Euchar: Tomo ſeptimo Germ: Viteb. fol 27. *Non dixi, neque conſului, neque eſt intentio mea, ut unus, aut aliquot Epiſcopi, propriâ Auctoritate, incipiant alicubi utramque ſpeciem porrigere, nisì ità conſtitueretur, aut mandaretur in Concilio Generali.*

In Aſert: Artic: Tomo ſeptimo Germ: Viteb. fol: 122. *Conſultum mihi videtur ut non modo per Concilium, ſed per quamcunque Diœceſim, quilibet Epiſcopus, etiam invito Papa, Chriſtum ſecutus in Evangelio, rurſus utramque ſpeciem laicis daret.*

III.

In Schedula Inhibit: Tomo ſeptimo Germ: Viteb: *Non probo utramque ſpeciem Laicis dari, nisi ſiat mandante Concilii Generalis Auctoritate.*

In formula Miſſæ Tomo ſeptimo Germ: Viteb: fol: 396. *Si quo caſu, Concilium ſtatueret, minimè omnium nos vellemus utraque ſpecie potiri: imò tunc primùm in deſpectum Concilii vellemus aut unâ tantùm, aut neutrâ, & nequaquam utrâque potiri.*

IV.

IV.

In Captiv: Babyl: *Caput sextum Joannis est in totum seponendum, ut quod nec syllaba quidem de Sacramento loquatur.*

In Visit: *sub utraque specie communicandum probatur Joannis sexto.*

V.

In Libro de Captiv: Babyl: ait: *Christus non permittendo, sed præcipiendo dicit Matthæi 26. Bibite ex eo omnes. Et istud non potest solis Presbyteris dictum intelligi, sed omnibus.*

Mox verò in eodem Libro post duas paginas dicit: *Non peccant, qui unâ specie utuntur, cùm Christus non præceperit ullâ uti, sed arbitrio cujusque reliquit, dicens: Quotiescunque hæc feceritis, in memoriam mei facietis. Sed illi peccant, qui hoc arbitrio volentibus uti, prohibent utramque dari.*

Omitto alias recensere super hoc Articulo contradictiones. Certè Gasparus Querhamer, Laicus & Civis Valnensis in Saxonia, recenset super hoc uno Articulo Lutheri 36. contradictiones, quas vide apud Cochlæum in Lib: cui Titulus: *Septiceps Lutherus.*

De Missa.

De Missæ Sacrificio.

I.

Tomo primo de 10. Præceptis, *Missas pro vivis & defunctis valere, tota approbavit Ecclesia.*

In Lib: de Capt: Babyl: *Impiissimus abusus est in Ecclesia, persvaderi, Missam esse Opus bonum & sacrificium.*

II.

De Capt: Babyl: *Missa pars est Evangelii, imò summa & compendium Evangelii.*

In Lib: contra Zvinglium & Oecolampadium, *Maxima peccata mea sunt, quòd tam Sanctus fui, ac tot Missis per Annos quindecim, Dominum meum tam graviter offendi.*

III. De

III.

De 10. Præceptis. *Error esse non potest, pro defunctis celebrare Missas, cùm & illud S. Augustinus pro sua Matre Monica fecerit.*

Lib: de abroganda Missa. *Ad abolendum victoriosum Eucharistiæ Mysterium profecit Satan, donec Missa ferè solis mortuis serviat, quæ pro vivis solis instituta.*

IV.

De 10. Præceptis. *Certus sum, & scio, Missas tam vivis quàm defunctis, prodesse.*

De Abroganda Missa. *Missa prorsùs nulli alteri potest applicari & communicari.* Et Articul: 24. ex Articulis 76. contra Lovaniens. & Tomo 2. ait: *Missam pro defunctis offerri Hæreticum est, & blasphemum.*

V.

Resolut: 26. *Quum Sacerdos cum Populo orat, jejunat, Sacrificat: de quo suffragio nullum est dubium, quod vehementer prosit & redimat animas.*

In Lib. contra Regem Angliæ. *Manifestum est, Sacerdotes in Missa id omittere, quod Christus in Cæna fecit; & id facere, quod Judæi fecerunt Christo in Cruce.*

De Purgatorio.

De Purgatorio.

In Disput: Lips: Anno 1519. die 8. Julii dixit Lutherus. *Ego credo fortiter, imò ausim dicere, scio Purgatorium esse. Facilè persvadeor de eo fieri in Scripturis mentionem.*

Ad Val: de Eucharistia. *Quòd negatis Purgatorium, damnatis Missas, vigilias, Cœnobia, Monasteria, per omnia probo: nec quisquam adstringitur ad credendum esse Purgatorium.*

De Sacramentis in Communi.

Lib: de Capt: Babyl: cap: de Eucharistia. *Principio neganda mi-*

da mihi sunt septem Sacramenta, & tantùm tria pro tempore ponenda: Baptismus, Pœnitentia, Panis; Quamquam si usu Scripturæ loqui velim, non nisì unum Sacramentum habeam, & tria signa Sacramentalia.

De poteſtate Papæ. *Septem sunt Sacramenta.*

Ad Valdenſes. *Duo tantùm sunt Sacramenta.*

De Cap: Babyl: *Tria sunt in Ecclesia Dei Sacramenta: Baptismus, Eucharistia, & Pœnitentia. - - Unctionis extremæ Sacramentum non damno. - Non dico, quòd damnem Sacramenta septem.*

Lib: de Abroganda Miſſa. *Quod sinè Verbo Dei ordinatur. non ab Ecclesia, sed à Synogoga Satanæ, sub Ecclesiæ nomine ordinatur: Qua igitur audacia, Sacramenta dicitis, quæ Deus in Scriptura, Sacramenta non dicit?*

Lib: ſecundo adverſùs Carolſtadium. *Age animicida, tu & Spiritus peccati, fatemur Deum non dixisse Sacramenta, nec præcepisse, ut Sacramenta, dicantur. Sed dic nobis contra, ubi prohibuit ità appellari? Quis ergo dedit potestatem prohibendi, quod Deus non prohibuit? Quid si hìc temerarius es, ut tam grande facias peccatum? ubi Deus nullum facit.*

De Sacramentis in particulari.

In Captiv: Babyl: *In puero, post Baptismum, negare remanens peccatum, est Paulum & Christum simul conculcare.*

Ibidem. *Baptismus omnia peccata remittit.*

Tomo primo in Reſolut: de Indulgentiis. *Nulli prorsus remittit Deus culpam, quin simul eum subjiciat in omnibus humiliatum Sacerdoti suo Vicario.* Itèm. *Deus non remittit culpam, nisì sit prior remissio Sacerdotis, saltèm in voto, sic clarè textus sonat Quodcunque ligaveris, &c.*

In Lib: de Captiv: Babyl: *Confessio occulta, quæ modò celebratur, probari non potest ex Scriptura.*

De Potestate Papæ. *Confirmatio, Sacramentum est.*

De Captiv: Babyl: *Mirum, quid illis in mentem venerit, quòd Sacramentum Confirmationis fecerunt, ex impositione manuum.*

De Potestate Papæ. *Ordo in Ecclesia Dei Sacramentum est: & Extrema Unctio, Sacramentum est.*

De Captiv: Babyl: *Sacramentum Ordinis Ecclesia ignorat, inventúmque est ab Ecclesia Papæ. Si usquam antea deliratum est; in Extrema unctione nunc præcipuè deliratum est: cùm non Sacramentum, sed figmentum sit.*

De Potestate Papæ. *Matrimonium in Ecclesia Dei, Sacramentum est.*

De Captiv: Babylon: *Matrimonium non solùm, sinè ullâ Scriptura, pro Sacramento censetur; verùm eisdem traditionibus, quibus Sacramentum esse jactatur, merùm ludibrium factum est.*

De Invocatione Sanctorum.

De invocatione Sanctorum.

De 10. Præceptis non longè ab initio. *Omnis cultura Sanctorum, pro timore Dei est instituta; ut homines ad pœnitentiam provocet; memoriam mortis suggerat; vitam futuram ostendat – nec prohibeo Sanctos invocari pro temporalibus, sed quòd solùm pro temporalibus id faciant, damno, neglectis eorum Virtutibus & exemplis – Ecclesia dicit: Sancte Paule ora pro me; ideo sciendum est, quòd omnes Sancti, omnia possunt; & tantum, per eos, à Deo dari, quantum credis te accepturum - Pighardi Hæretici infelices, præ nimia ruditate nobis Teutonicis imponunt, quòd Sanctos DEI colamus, & idola faciamus: & ideo contra nos acervum versuum Scripturæ congregant, in quibus prohibetur, nè adoret quis, nisì unum DEUM: & ut nobis, apud suos, justissimam invidiam conflare videantur: insidiosissimè omittunt, quod scri itur. Rex David & Salomon, & multi alii adorati: simul impii perversores Scripturæ, & subdoli calumniatores nostræ pietatis. Ità enim rustici illi, nos tandem docent, quòd Solus*

DEUS

DEUS sit adorandus; & gloriantur; ac si nos id ipsum negaverimus unquam, cùm tamen negare non possint, frequenter aulicos Regios honorari, ac velut adorari, ut faciliùs ad Regem perveniatur. Propter horum itaque rusticitatem, dico ego, ad Sanctorum Suffragia recurrendum omni modo;, sicut in Job dicitur: Et ad Sanctorum aliquem convertere.

Tomo 1. Epistol: 83. ad Spalatinum scribit. *Mi Spalatine, non fuit mens mea unquam, Venerationem Sanctorum esse superstitiosam, neque invocationes eorundem pro causis vel corporalissimis: Hoc enim sapiunt Hæretici illi vicini nostri Pighardi in Bohemia.*

E contra tamen dicit in sermon: de S. Joanne Baptista. *Ego æquè bene per Christum ad DEUM ire audeo: Sicut Sanctus Petrus & Paulus - Quòd me ità humiliarem, ut accederem ad DEUM, sed aliquem pro mediatore ponerem, id non debeo facere.*

Non absimilis vertiginosus Lutheri spiritus conspici clarè potest & in pluribus aliis dogmatibus Fidei.

Hinc habetur, quàm falsò Lutherus initio sui Evangelii scripserit in Lib: contra Regem Angliæ; *Certus sum, Dogmata mea me habere de Cælo.* Siquidem plurima ab eo proposita dogmata sunt contradictoriè sibi opposita; ex contradictoriis verò implicat utrumque esse verum. Neque dicas, utique & Divus Augustinus multa in libris suis posterioribus, scilicet in Libris Retractationum docuit contraria iis, quæ priùs asseruerat? Contra enim est; quia Sanctus Augustinus scripsit quidem Libros Retractationum, ast nullum Articulum Fidei retractavit, nec in rebus Fidem Divinam concernentibus, contraria sibi scripsit.

Quid indè rectè infertur.

CAPUT II.

ASsero secundò. Admirandi errores sunt Lutheri in ejus Doctrina de DEO.

Proponuntur & convelluntur Lutheri errores de Auctore peccati.

PRobatur. Primò enim docet, aut saltèm plurimùm inclinat in sententiam impiam hanc; quòd Deus sit omnium peccatorum Auctor. In Libro enim de servo arbitrio contra Erasmum scribit. *Nulli, in manu sua est cogitare quidquam mali aut boni; sed Deus in nobis omnia bona & mala operatur;* Et in Assertione Articuli 36. *Quomodo potest Homo se ad bonum præpatare, cùm nec in potestate ejus sit suas vias malas facere: nam & mala in impiis Deus operatur.* Quod ipsum manifestiùs adhuc docuit primarius ejus Discipulus Melanthon in Annotat: in Epist ad Roman: cap. 8. *Nos* (inquit) *docemus, non solùm permittere Deum Creaturis, ut operentur, sed ipsum omnia propriè agere: & sicut fatemur proprium DEI opus fuisse Pauli vocationem, ità fatemur opera Dei propria esse, Davidis adulterium, Manlii Severitatem. Constat enim ex Cap: primo ad Roman: Deum omnia facere, non permissivè, sed potenter: id est, ut sit ejus propria Judæ proditio, sicut Pauli vocatio.* Sed huic Doctrinæ reclamat Scriptura Sacra dicens. Psal. 5. *Quoniam non Deus volens iniquitatem, tu es.* Jeremiæ 19. *Ædificaverunt excelsa Baalim quæ non præcepi, nec locutus sum, nec ascenderunt in cor meum.* 1. ad Thessalonicenses 4. *Hæc Voluntas Dei, Sanctificatio vestra.* Reclamant Patres: audiatur saltèm Divus Augustinus, qui ad Articulos sibi falsò impositos, Articulo 10. ait: *Detestanda & abominanda opinio est, quæ Deum cujusque malæ voluntatis aut malæ actionis credit Auctorem.*

De damnatione im meritorum.

Secundò Docet, Quòd Deus sinè respectu aut prævisione peccati Originalis, aut actualis, damnet immeritos. Libro enim contra Erasmum de servo arbirio. *Deus, ùt*

merita

merita non respicit in salvandis, ità neque in damnandis: illic indignos coronat, hìc indignos punit, & immeritos damnat: Quod si tibi placet indignos Deus coronans; nec debet displicere, immeritos damnans: illic gratiam & misericordiam spargit in indignos: hìc iram & severitatem spargit in immeritos.

Convellit hunc errorem per os Prophetarum & Apostolorum Spiritus Sanctus. Psal: 24. *Universæ viæ Domini, misericordia & veritas.* Oseæ 13. *Perditio tua ex te Israël.* Sapientiæ 12. de DEO dicitur: *Cùm sis Justus, justè omnia disponis: ipsum quoque, qui non debet puniri, comdemnare exterum æstimas à tua Virtute.* S. Apostolus Petrus in 2. Epistola cap: 3. *Deus non vult aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* S. Paulus 1. ad Timoth: 2. *Deus vult omnes homines salvos fieri.*

Convellunt etiam Sancti Patres. Divus Augustinus Lib: 3. contra Julianum cap: 28. *Bonus est DEUS, Justus est DEUS, potest aliquos sinè bonis meritis liberare, quia Bonus est: non potest quemquam sinè malis meritis damnare, quia Justus est.*

S. Fulgentius ad Monimum Lib. primo cap. 26. ait. *Notum est, Iram DEI dici non posse, nisì ubi creditur, hominis iniquitas præcessisse.*

De Odio in Deum.

Tertiò. Quàm impia Lutheri Doctrina hæc! *Oportet cor humanum, Legem Dei, atque adeò Deum ipsum, supra modum odisse.* Meritò sapientissimus Cornelius à Lapide allegans hoc execrandum Lutheri dictum in Commentario suo eruditissimo in Epistolam ad Galatas, cap. 2. numero 47. ait: *Audite hæc, qui à Luthero ejúsque Asseclis miserè decepti estis, & exhorrescite vocem non hominis, sed Satanæ.*

De Accessu ad gratiam.

Quartò. Sermone de Piscatura Petri Lutherus dicit; *Quantò sceleratior es, tantò vicinior gratiæ Divinæ es.* Nónne hoc Paradoxum, simile huic: quo remotior es à Polonia eò es vicinior Poloniæ. Utique sceleratum esse, est à gratia Divina recedere? Quodnam ex orci armamentario validius

telum esse potest, ad fræna pudoris & omnis honestatis perfringenda?

Arianorum Fautor Lutherus.

Quintò. Arianis, Doctrina Lutheri in pluribus haud mediocriter favet. Nam Lib: contra Latomum dicit. *Anima mea odit hanc vocem ὁμοούσιος.* Quid quæso (ùt rectè notat Bellarminus in Præfat: de Christo) vel sentiret, vel diceret aliud Arius, si ab inferis nunc rediret?

Nomen etiam *Trinitatis* eidem displicuit; unde precandi formulam hanc; *Sancta Trinitas Unus DEUS, miserere nobis*, ex Litaniis, id est, ex publicis & communibus Ecclesiæ precibus sustulit: & ex prima Epist: Sancti Joannis cap: 5. abstulit verba hæc: *Tres sunt in Cælo, qui testimonium dant: Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres, unum sunt*; cùm tamen hæc verba, in omnibus emendatioribus Bibliis exstarent. In suis etiam Bibliis editis Germanicè, Vitebergæ, Jenæ, Lipsiæ, Francorfordiæ, ex Loco Isaiæ cap. 9. ubi dicitur de Christo: *Parvulus natus est nobis - vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, DEUS, Fortis, &c.* vocem *DEUS* omisit.

Itèm in Cap: 10. Genesis commentando, Filium Dei æternum, qui creavit omnia, *Instrumentum Patris*, vocat: id autem ipsum dixit Arius, ùt testatur S. Athanasius Lib: secundo contra Arianos. Certum autem, quod instrumentum, non sit præditum eadem potestate, quam habet Causa Principalis. ùt Luthero edoctus Philippus Melanthon, Lutheri amicissimus, nonne Arianizat? dum in Locis communibus Anno 1558. pag: 40. & in Epistola ad Electorem Brandeburgicum, tertia Octobris 1552. scripsit hæc: *Filius secundùm Divinitatem cessit iræ Patris, adversùs peccata. - Natura Filii Divina, obedivit Patri in Passione.*

Quin & Judæorum ac Mahometarum.

Sextò. Tomo primo Latin: Vitebergico in Disputatione de Mysterio Sanctissimæ Trinitatis, ausus est Lutherus scribere Thesim 18. hanc. *Nihil mirum, si Arius, Judæus,*

dæus, Mahomet, & totus Mundus, negent Christum esse DEUM. Totúsne Mundus negat Christum esse DEUM? quàm portentosum mendacium! Nonne Europa universa, cum omnibus suis Regnis & Provinciis amplissimis, tot itèm in armenia, utraque Asia, Africa, India Orientali & Occidentali Populi & Gentes, Christum esse verum Deum palàm deprædicant? Nónne sunt Motiva evidentia Credibilitatis pro Veritate Religionis Christianæ Catholicæ? documenta itèm clarissima, quibus Arianismus, Mahometismus, & Judaismus erroris evidenter convincuntur, ut mirabilissimum sit, quòd post tot motiva & documenta, hucusque â Judæis, Mahometanis, non agnoscatur Christus, Verus DEUS. Vide dicta in Defensione Theologiæ Scholasticæ in Tractatu quinto sub Thesi prima.

Septimò. In libello de Patribus & Conciliis, itèm in Libello qui inscribitur, *Confessio Martini Lutheri de Sacramento Cœnæ Domini.* Dicit: Naturam Divinam in Christo esse passam, crucifixam, mortuam, unà cum Natura humana: damnátque Hæreseos Zvinglium & Zvinglianos, quòd Divinitatem pati potuisse, pertinaciter negarent. Quare Zvinglius respondens Luthero in Tomo 2. in Responsione ad Confessionem Lutheri ait: *Quid dici potest blasphemius? Num Deus quoque pati potest? Num eundem etiam mortuum fatebimur? Hicque se vertere poterit Lutherus, si Pontificii dictum hoc arripientes, eum in Divinitatem quoque blasphemum esse dixerint; ut qui illam mortuam esse pronunciat.*

Nec non & Eutychianorum.

CAPUT III.

ASsero tertiò admirandè erronea Lutheri Doctrina de Sanctis, Fide, & Meritis.

Pro-

Referuntur & refelluntur errores Lutheri De Dormitione Animarum.

PRobatur primò. Nam explicando Caput 49. Genesis & in Epistol: ad Amsdorffium dicit. Animas omnium Justorum dormire post mortem, ac usque ad Judicis diem nescire ubi sint. Dixítne Christus Dominus Latroni bono: hodie mecum dormies in Paradiso? Divus Paulus cupiebátne dissolvi & dormire? nónne ardenter desiderabat esse cum Christo? ad Philip: 1. *Coarctor desiderium habens dissolvi & esse cum Christo*; Christus autem utique est in cœlo? Hæc erronea de dormitione animarum Doctrina, meritò etiam ipsi displicuit Zvinglio, qui in Explicatione Articuli 57. eam refellit. Displicuit itèm Calvino, hinc in Libro cui Titulus Psychopannichia (suppresso tum nomine Lutheri & ejus aliquorum sequacium, metuens fortè sibi à Lutheri nimis aculeato calamo) habet hæc: *Quidam principiò confusè garriebant, mortuorum animas dormire, neque definiebant, quid per somnum vellent intelligi: illorum errorem non ferendum existimo, cùm nec ratione, nec judicio, nitantur.* Quamquam & Calvinus ipse hoc in passu, non leviter etiam erret; licèt enim animas, non faciat dormientes sed vigilantes, tamen eas extra Cælum in quodam atrio collocatas esse, docet. lib. 4. Instit. cap. 20. & cap: 25. Et cum felici lætitia fruitionem promissæ gloriæ exspectare. Vide dicta in Defensione Theologiæ Scholasticæ. In Tractatu tertio, sub Thesi prima & in Admirandis Zvinglii in Tractatu tertio cap. 5. & ibidem in Tractatu secundo cap: primo.

De Sanctitate DEIGenitricis.

Secundò. Non est veritus palàm in sermone de Nativitate B. Virginis dicere: *Omnes sunt Beatæ Virgini in Sanctitate & meritis coram Deo pares.* Quomodo omnes pares Beatissimæ Virgini? quam Angelus vocat *gratiâ plenam.* Quam intuita Elisabeth exclamavit: *Unde hoc mihi ut Mater Domini mei veniat ad me?* De qua Spiritus Sanctus Proverb: 31. dicit: *Multæ Filiæ congregaverunt divitias: Tu supergressa es universas.* Et

Can-

Cantic: 1. *Tota pulchra es & macula non est in te.* Cujus *pura Sanctitas, & sanctissima Puritas* (ùt ait S. Anselmus de Excellentia Virg: cap: 9.) *Omnem omnis creaturæ puritatem, sanctitatémque transcendit.* *Cujus* (ùt dicit Doctor Angelicus 2. p. q. 27. Artic: 1. & 2.) *Puritas, maxima est sub DEO: & quæ maximè participavit gratiam, utpote propinquissima gratiæ Principio, Christo.* Cujus Merita fuerunt summè intensa & dignificata non solùm per gratiam Sanctificantem pænè infinitam, sed etiam per Maternitatem DEI, dependebántque à motivis supernaturalibus plurimis exellentissimísque, erántque continua sinè interruptione.

De Justificatione vi solius Fid. i.

Tertiò. Docet sola Fide, licèt nulla quis ex adultis, opera bona faciat, imò licèt peccata gravissima perpetret, excepta tamen infidelitate, obtineri justificationem, & beatitudinem: scribit enim ad suum Melanthonem Epistol. 238. sic: *Esto peccator & pecca fortiter, sed fortiùs Fide & gaude in Christo, qui Victor est peccati, mortis, & Mundi: peccandum est, quamdiu hìc sumus, - sufficit quòd agnovimus per divitias gloriæ DEI Agnum, qui tollit peccatum Mundi* (hoc est sufficit, quòd credamus in Christum) *ab hoc non avellet nos peccatum, etiamsi millies, millies, uno die fornicemur, aut occidamus.* Nónne hæc doctrina, timorem Dei tollit? habenas laxat ad patranda flagitia vitæque impuritatem? Nónne Christus asseruit Mathæi 5. *Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis.* Rectè S. Augustinus de Gratia & libero Arbitrio cap: 7. scripsit: *Homines, non intelligentes, quod ait Apostolus: Arbitramur Justificari hominem per fidem sinè operibus legis; putaverunt eum dicere, sufficere homini fidem etiamsi malè vivat & bona opera non habeat. Quod absit, ut sentiret Vas Electionis; qui cùm dixisset quodam loco: In Christo enim Jesu, neque Circumcisio aliquid valet, neque Præputium: mox addidit, sed Fides quæ per dilectionem operatur.* Hanc, & sequentem Lutheri erroneam doctrinam fusiùs refutavi, in

Defensione Theologiæ Scholasticæ in Tractatu tertio sub Thesi sexta & nona.

Quartò. Pluribus in locis dicit: Hominem quemcunque fieri justum & Sanctum sola Fide, sinè ullis bonis operibus & meritis. Cùm tamen Veritas Prima dicat Matthæi 3. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, exscindetur & in ignem mittetur* Sanctúsque Jacobus Apostolus scripserit, *quid proderit fratres mei, si Fidem dicat quis se habere, opera autem non habeat: nunquid potest Fides salvare eum? Fides sinè operibus mortua est.* Divus quoque Augustinus in hæc verba scribens cap: 14. de Fide & Operibus ait: *Quoniam hæc opinio tunc fuerat exorta Fidem sinè operibus justificare, Apostolicæ Epistolæ, Joannis, Jacobi, & Judæ, contra eam opinionem, maximè intentionem dirigunt.* Eandémque opinionem erroneam idem Sanctus Lib. de Hæresibus. Hæresi 54. tribuit Eunomio Hæresiarchæ.

CAPUT IV.

ASsero quartò in Lutheri Doctrina de Castitate sunt admirandi errores.

Epicurea Paradoxa Lutheri.

PRobatur. An enim non meritò obstupescat, prudens Lector, si legat vel unam Epistolam Lutheri (exstat Tomo septimo) quam Anno 1525. 14. Martii, Vitebergæ scripsit ad Wolffgangum Reisenbusch Juris utriusque Doctorem votis Religionis obstrictum, utpote Ordinis Sancti Antonii. Is cùm paulò tardiùs uxorem duceret, quàm Luthero placebat: Ut eum ad nuptias impelleret. Hæc inter alia proposuit motiva, in illa sua Epistola.

Sinè Matrimonio vivere volens, planè impossibilia servat, penitúsque cum DEO pugnat.

Votum Castitatis, ùt impossibile & impium, nullius momenti est; DEUS

DEUS quoque reprobat illud, non secùs, acsi vovissem, Dei Matrem me fieri, aut novum Cœlum condere velle, sumere Cibum, potum, & Uxorem ducere, utrumque hoc juxta facere cogit necessitas. Et DEUS utrumque ex æquo fieri imperat.

Castè & integre vivere, tam non est in manu nostra, quàm omnia reliqua DEI miracula, Gratia, & Opera, omnes itaque ad Matrimonium, hoc est legitimè procreandos liberos nati sumus, sicut ipsa corporis membra indicant. Qui se hominem esse agnoscit, & credit hominis appellatione se quoque comprehendi, ille purgatis auribus audiat, quam DEUS super omnem carnem pronuntiet sententiam, dicendo nimirum, se nolle quemquam vivere sinè matrimonio, sed multiplicari.

Non absimilia Axiomata habet in Colloq: Mensal: Titulo de Matrimonio. Et in cap: septimum Epist. primæ ad Corinth: Itèm sermone de Matrimonio, quem Vitebergæ habuit Anno 1552. ubi inter alia hæc sunt: *Conjunctio viri cum fæmina est necessaria; Quia Verbum hoc, quod DEUS ait: Crescite & multiplicamini; non est Præceptum, sed plùs quàm Præceptum: Divinum puta Opus, quod non est nostrarum virium, vel ut impediatur vel omittatur. Sed tam est necessarium, quàm ut masculus sim; magísque necessarium, quàm edere, bibere, purgare, mucum emungere, somno, & excubiis intentum esse.* Et propter tantam fortè necessitatem correxit Orationem Dominicam, docens In cap. 24. Genesis, ità orandum esse: *Domine DEUS, da Uxorem, & panem quotidianum.* Priúsque Uxorem petendam esse docet, quàm panem qnotidianum. Prætermitto, quòd passim in Lutheri Epistolis, præsertim ad Spalatinum Apostatam Tomo secundo Epist: folio 306. & 322. & 377. contineantur salutandi, & valedicendi formulæ, jocis Venereis multùm impudicis honestarúmque aurium graviter offensivis (ideoque consultò à me hìc in particulari non annotantur) consarcinatæ, quæ omnia luculenter probant, Lutherum fuisse continentiæ hostem capitalem.

Epicurus Christianorum Lutherus.

S. Hieronymus quondam, meritò Jovinianum (lib: 1. contra eundem ab initio) dixit esse *Epicurum Christianorum*. Quidni multò magis etiam ob annotata Paradoxa, Lutherus dicendus est Epicurus? Nónne graviter esse erronea axiomata illa Lutheri declarat Sanctus Paulus 1. ad Corinth. 7. dicens: *Qui matrimonio jungit Virginem suam, bene facit: & qui non jungit, meliùs facit. Volo omnes homines esse sicut me ipsum.* (ipse verò vel Virgo fuit, vel certè cælibem egit vitam) *Dico non nuptis & viduis, bonum est illis si sic permaneant, sicut & ego.* Cùm DEOne pugnârunt innumeri Sancti & Sanctæ à temporibus Apostolorum in perpetua continentia viventes? Nullus Lutheranorum unquam habuit, vel habet donum miracula patrandi, omni cibo & potu per mensem integrum abstinendi, novum Cælum condendi. Ergo juxta Doctrinam Lutheri, nullus Lutheranorum habuit & habet donum Castitatis. Si alicujus Lutheranæ Uxoris Maritus, longô difficilíque morbô laboret, vel peregrinas adeat regiones, tamdiúne cibô & potu abstinere debet uxor, donec convalescat, vel redeat Maritus? Utique juxta Lutherum, conjunctio Viri cum fæmina est tam necessaria, quàm edere & bibere? Quis credet, Lutherum ante sacrilegas nuptias cum sua Borrha, castè aliquo tempore longiore vixisse? cùm certum sit, eum non abstinuisse cibô & potu longo tempore?

CAPUT V.

Exponuntur & refutantur errores Lutheri

ASsero quintò Admirandi sunt errores in Lutheri Doctrina, de Pontifice Romano, & Sacerdotio.

PRobatur. Quidni enim admirandè blasphema & stolidè erronea sit Lutheri doctrina hæc? *Sanctus Gregorius* (scili-

(ſcilicet Magnus, inquit libro adverſus Papatum) *fuit ultimus Epiſcopus Romanus, poſt cujus obitum, Romana Eccleſia nullum ampliùs habuit Epiſcopum, etiam uſque in hodiernum diem, nec in poſterum habitura eſt, niſi fortè fiat mirabilis Metamorphoſis* (id eſt niſi Lutheri Doctrinam amplectantur.) *Sed non niſi Papæ, hoc eſt diabolicæ larvæ ibi regnârunt. Et omnes Eccleſias & earum res, tam Divinas, quàm humanas devaſtârunt – Quisquis autem ſalutem conſequi cupit, vitet, fugiat, & non minùs, quàm ipſum Satanam Papam, & ejus opera & Statum damnet, id quod nos noſter Sacro-Sanctus Baptiſmus docet, & adhortatur – Imprimis Imperatores Reges, Principes, & Proceres, ſi in numero Chriſtianorum eſſe velint, meminiſſe debent ſui eſſe officii, execratum illum Ethnicum Romanum pro meritis tractare. Aliàs faciunt profectò ſe participes omnium peccatorum, quæ Ethnicus ille Diabolus Romæ tot Sæculis in Eccleſia perpetravit, in omnibus ſuis libris decretorum – Bullarum, omnium Diaboli excrementorum, & fætorum, quibus Chriſtianitatem ſuffocavit, & ſtrangulavit. Hoc mihi certum eſt, ſi Papa non eſſet Turca* (*cujus Diabolus Diabolo Papæ propinquitate ſanguinis, & affintate ſumma conjunctus eſt.*) *Ad tantam potentiam nunquam perveniſſet. Papa nec Chriſtianus eſt, nec vocatur.* Ergóne per Annos 913. (tot enim fluxerunt ab obitu S. Gregorii ad Annum 1517.) Nullus, qui Papæ ſuberat potuit ſalvari ? Itáne æternùm perierunt, miraculis, doctrinâ, Sanctitate conſpicui præter alios innumeros, Bernardus, Anſelmus, Albertus, Stanislaus, Caſimirus, Bonifacius I. Archiepiſcopus Moguntinus Germanorum Apoſtolus, Ansgarius Apoſtolus Svecorum, Ebbo Archi-Epiſcopus Remenſis, Daniæ Apoſtolus, &c. Hi enim omnes, ùt evidens eſt ex Hiſtoriis paruerunt Papæ, & vixerunt poſt Gregorium Magnum ? Quænam contra Pontifices Romanos, Devaſtatores Eccleſiæ Chriſti (ùt blaterat Lutherus) Concilia congregata ? Quis eos ex inculpatæ Fidei Auctoribus, & Doctoribus unquam oppugnavit, & convicit errâſſe in materia

De Romano Pontifice.

teria Fidei? Ubinam per tot sæcula latuit vera Ecclesia Christi? cur nulli ex illa occulta transierunt ad Lutherum? *Ecquid verisimiléne est* (utor verbis Tertulliani de Præscription: cap: 28.) *ut tot ac tantæ Ecclesiæ in unam fidem erraverint? - aliquos Marcionitas & Valentinianos* (Lutheristas, Calvinistas.) *liberanda veritas exspectabat, interea perperam evangelizabatur, perperam credebatur?*

De Sacerdotio.

De eo quod doceat Lutherus omnes Christianos esse propriè Sacerdotes & Episcopos, etiam Mulieres ipsas.

Quidnî Doctrina admirandè erronea? potestatem absolvendi à peccatis & consecrandi, tribuere omnibus & singulis Christianis, etiam mulieribus, imò & dæmoni? audi Lutherum lib: de abroganda missa privata Tomo secundo Lat: Viteb: *Vocabulis istis, Sacerdos, Clericus, Spiritualis, Ecclesiasticus, injuria facta est, dum à reliquis Christianis omnibus translata sunt ad paucos istos, qui nunc usu noxio, Ecclesiastici dicuntur. Sed certus esto & se agnoscat quicunque se Christianum esse cognoverit, omnes æqualiter esse Sacerdotes: hoc est eandem in Verbo, & Sacramento quocunque habere potestatem:* Et in Libello de instituendis Ministris, ad Senatum Pragensem scribit: *Sacerdos in novo Testamento non fit, sed nascitur ex aqua in Spiritu & lavacro generationis. Súntque prorsùs omnes Christiani Sacerdotes, & omnes Sacerdotes, sunt Christiani: Anathemáque sit, Sacerdotem alium asserere, quàm eum, qui est Christianus: assereretur enim id absque Verbo DEI.* Et Infrà. *Dicimus & hoc officium Sacerdotale, scilicet, consecrare seu ministrare sacrum Panem & Vinum, esse omnibus commune, perinde atque Sacerdotium: Idque non nostra, sed Christi asserimus Auctoritate; dicentis in Cœna Novissima: Hoc facite in mei commemorationem. Quo Verbo etiam rasi Papistæ volunt Sacerdotes factos, & potentiam consecrandi collatam. At, hoc Verbum dixit Christus omnibus suis præsentibus & futuris, qui Panem illum ederent & poculum bibe-*

biberent: Quidquid ergo ibi collatum est, omnibus collatum est: Nec habent, quod hìc opponant; nisi Patres, Concilia, Consvetudinem, & fortissimum articulum illorum, qui est: Nos multi sumus, & sic sentimus. Ergo est verum. Accedit Testis Paulus 1. *ad Corinth*: 11. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis. Et hìc Paulus ad omnes loquitur Corinthios: omnes faciens tales, qualis ipse fuit, id est Consecratores.* Hinc patet, quòd etiam Mulieres, juxta Lutherum possint consecrare. cùm sint è numero Christianorum. Imò illis inesse hanc potestatem, tali probat ibidem Argumento. Collata est omnibus Christianis etiam Mulieribus potentia baptizandi & Verbum annuntiandi. Quæ potentia est incomparabiliter majus quid, quàm panem & vinum consecrare. Nam inter baptizandum, profertur Verbum DEI vivificum, quod animas regenerat, & à morte ac peccatis redimit. Ergo non negatum quoque esse rectè dicetur id, quod minus est, nempe consecrare: etiamsi deesset Scripturæ auctoritas. Sicut & Christus arguit, Anima plus est, quàm corpus, & corpus plus, quàm esca. Si DEUS hoc damnat, quanto magìs illud. Hæc Lutherus.

Mulieres etiam, juxta Lutheri Doctrinam, possunt audire confessiones: Et à peccatis absolvere; tum quia omnes Christiani juxta ipsum sunt Sacerdotes; tum quia dicit in Libello de instituendis ministris: *Nos omnes, qui Christiani sumus, habemus commune hoc officium clavium: Stat enim Verbum Christi Math*: 15. *Non Apostolis tantùm, sed omnibus - prorsus fratribus dictum, - quodcunque ligaveris, ligatum est. Qui sunt illi, quos alloquitur? nónne omnes Christiani? Cessent ergo Hominum mendacia: Claves sunt totius Ecclesiæ, & cujuslibet membri ejus, tam jure, quàm usu, & omnibus modis.* Hinc ùt scribit Georgius Scherer in sua Postilla, de Tempore Concione tertia Dominica Quadragesimæ, habita. *Accidit* (inquit) *in Austria non procul hinc* (hoc est Viennâ) *memorabile quiddam. Vidua nobili-*

tate & formâ spectabilis, confitebatur Prædicanti cuidam; absolutâ Confessione, rogabat Prædicans, ut ipsa vicissim suam Confessionem audiret. Sibi enim in optatis esse arcana pectoris sui ei credere, Mulier hac petitione exterrita, Prædicantem repellit. Atqui ajebat ille, scriptum est: Confitemini alterutrum peccata vestra. Qua re Mulier in tantum offensa fuit, ut ei tota Lutherana secta, in qua nata & educata fuerat, suspecta redderetur: Me igitur advocandum curans, rem totam ex ordine exponit, & se in Catholica Religione instrui orat. Postea Catholico ritu Confessa, Eucharistiam ex manu mea accepit. Hæc ille. Ex eadem doctrina Lutheri habetur, quod mulieres, etiam possint ordinare Prædicantes. Hinc, ùt scribit idem Scherer in Postilla de Sanctis, Concione prima de Sancto Stephano. *Ante paucos annos, non procul Viennâ Mulier quædam Nobilis, per impositionem muliebrium suarum manuum, & lintei, quo præcingebatur, loco Stolæ, filiorum suorum Præceptorem, & Pædagogum, ad Prædicanticum officium vocavit, ordinavit, & consecravit.* Insuper ipsi Diabolo tribuit potestatem Lutherus administrandi validè Sacramenta, ac conficiendi Corpus Christi. Ità enim scribit Tomo septimo de Missa privata: *Ego non dicam, quod Papistæ dicunt, nullum Angelorum, nè MARIAM quidem ipsam, consecrare posse. Et è contra dico: Si Diabolus ipse veniret. (si modò præ malitia posset rebus DEI tam diu interesse.) Ego autem pono, ut postea rescirscerem, Diabolum sic irrepsisse in Officium Pastoris Ecclesiæ, in specie hominis vocatum esse ad prædicandum & publicè in Ecclesia docuisse, baptizâsse, celebrâsse Missam, absolvisse à peccatis: Et tali munere functum esse, juxta institutionem Christi, tunc cogeremur fateri, Sacramenta ideo non esse inefficacia, sed verum Baptismum, verum Evangelium, veram Absolutiouem, verum Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi, nos accepisse.* Sed contra est. Tum quia. Quæro, Quis dedit, & quandonam data est potestas Dæmoni, vel omnibus Christianis, etiam mulieribus, Potestas inquam consecrandi & absolvendi à peccatis. Tum quia in Eccle-

in Ecclesia Catholica à primis Ecclesiæ temporibus hucusque nullus unquam Orthodoxus docuit, omnes Christianos esse propriè Sacerdotes; damnatíque sunt olim ab Ecclesia Pepusiani, simile quid blaterantes. Tum quia bene urget Bellarminus; si omnes Christiani haberent hanc potestatem, nemo posset privari usu ejus, nisì in pœnam magni criminis; posséntque per vices saltèm fungi hoc ministerio, aut certè non deberet posse repelli, qui vellet ministrare, quando pauci sunt Ministri, licèt non esset vocatus à Magistratu: Cùm tamen ordinariè Lutherani repellant non vocatos. Neque dicas S. Petrus dicit de omnibus Christianis 1. Petri 2. *Vos genus electum Regale Sacerdotium.* Quid tum? Nónne etiam Judæis omnibus olim dictum est Exodi 19. *Vos eritis mihi in Regnum Sacerdotale, & gens Sancta.* Numquid ideo Judæi omnes erant Sacerdotes propriè dicti? minimè. Sed dicti sunt, Sacerdotes impropriè, quòd scilicet, Spirituales DEO hostias offerrent: Sic ob eandem rationem, & Christiani à S. Petro vocantur Regale Sacerdotium.

CAPUT VI.

ASsero 6. In Doctrina Lutheri de aliis dogmatibus Fidei Orthodoxæ sunt admirandi errores.

Ostenditur erroneè docuisse Lutherum, omnes Propositiones Hussi esse veras.

PRobatur. Nam inter alia primò, Docet Lutherus esse Euangelicos, veros & Christianos, omnes triginta Articulos Joannis Huss, in Concilio Constantiensi damnatos. Sic enim in Assertionibus Articulorum suorum 41. dicit Tomo secundo Articul: 30. *Aliqui Articuli Joannis Huss, Condemnati in Concilio Constantiensi, sunt Christianissimi, Verissimi & Evangelici: Quos nec Universalis Ecclesia posset damnare, Erravi, & hunc Articulum revocavi, & adhuc revoco, in hoc, quod dixi; Aliquos*

Articulos Joannis Huss esse Evangelicos. Quare nunc sic dico : Non aliquos, sed omnes Articulos Joannis Huss esse damnatos ab Antichristo & suis Apostolis in Synagoga illa Satanæ ex sceleratissimis Sophistis congregata : Et in faciem tuam Sanctissime Vicarie DEI, Tibi dico : omnia damnata Joannis Huss, esse Evangelica & Christiana ; tua autem omnia prorsus impia & Diabolica. Ecce Revocationem, quam tua Bulla exigit ; quid vis ampliùs ? Porrò, sciendum, quòd Triginta Articuli Joannis Huss, & 45. Articuli, Joannis Vicleffi, in eodem Concilio, Sessione octava & decima quinta damnati, desumpti sunt ex libris eorundem Hæresiarcharum, & Testimoniô gravissimorum Virorum, etiam ipsius Academiæ Oxoniensis, in qua Vicleffus docuit ; itèm Academiæ Pragensis, in qua Huss docuit, comprobati. sciendum secundò, inter illos Articulos triginta Joannis Huss. Articulus 25. est iste: *Condemnatio quadraginta quinque Articulorum per Doctores* (scilicet Pragenses & alios) *facta, est malefacta, & ficta est causa, per eos allegata, ex eo videlicet, quod nullus eorum est Catholicus, sed quilibet eorum, aut est Hæreticus, aut erroneus, aut scandalosus.* Proinde Joannes Huss, sinè ulla exceptione, vel restrictione approbat, ùt rationabiles, justos, verus, & probos omnes Articulos quadraginta quinque Viclefficos.

Hinc, cùm Lutherus approbet, ùt Christianos, & Evangelicos, omnes Articulos triginta Joannis Huss condemnatos in Concilio Constantiensi, eo ipso approbat etiam quadraginta quinque Articulos Vicleffi ibidem damnatos, inter quos sunt etiam illi impii Diabolici Articuli. *DEUS debet obedire diabolo. Universitates, studia, tantum prosunt Ecclesiæ sicut Diabolus. Claustra ingredientes, sunt Viri Diabolici.* Vide supra in Tractatu 1. cap. 6.

Secundò, scribit Lutherus Anno 1520. in Assertionibus suis, Articulo 31. sic : *In omni opere bono justus peccat.* Intellige, *mortaliter* : Nam statim in sequenti Articulo scilicet 32. dicit :

dicit: *Opus bonum optimè factum, est veniale peccatum non naturâ suâ, sed misericordiâ DEI - Omne opus Justi damnabile est, & peccatum mortale, si judiciô DEI judicetur.* Quantâ autem pertinacia, hos duos, imò & alios Articulos quadraginta & unum, defenderit, patet ex ipsius Responso contra Doctores Lovanienses pro suis Assertionibus, scribentis hæc: *Sive exurant, sive submergant meos Libellos, id quod dixi, iterum repetens dico: In hac Sententia, me sic esse audacem; ut ignem, mortem, & omnia, etiam iras bestiarum istarum, DEO propitio sim passurus: & omnem, contraria docentem pertinaciter, pro Hæretico habiturus; etiamsi Lovaniensium, & Coloniensium synagogarum Magistri nostri ad unum omnes aliter saperent: Quos & his scriptis confiteor me, pro Hæreticis, & Misericordiæ DEI inimicis habere.* Et in Libro contra Latomum ait: *Peccatum, prædicatione perseitatis, inest operi bono, quamdiu vivimus. Sicut risibile inest homini: ùt sequitur: Homo vivit. Ergo est risibilis: Ità sequitur; Homo bene facit, ergo peccat.* Modum etiam Confitendi In Colloq: Symbol: Tit: de Confessione auriculari, præscribit talem: *Si omnia peccata mortalia confitenda sunt; his sequentibus verbis paucis, fieri potest. Mea tota vita, & quidquid facio, ago, loquor, cogito, id ita factum est, actum, ut mortale sit, & condemnatione dignum: Nam si quis hominum, hujus est opinionis, quòd mortalis peccati exsors esset, id mortalium peccatorum omnium esset mortalissimum.*

Justum in omni opere bono peccare mortaliter.

Sed contra est. Si omne opus bonum Justi, DEO Judice, peccatum mortale est: Cur ergo DEUS, & per se, & per Prophetas, & Apostolos, ad bona opera facienda, in Scriptura Sacra nos hortatur? Math: 5. vers: 16. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona.* 1. ad Thimoth. 6. *Divitibus præcipe, divites fieri in operibus bonis, &c.* Cur Sanctus Petrus dicit 2. Petri. 1. *Fratres, satagite ut per bona opera, certam vestram Vocationem & electionem faciatis; hæc enim facientes, non peccabitis aliquando.*

Itèm, si actiones quantumvis bonæ, peccata sunt mortalia? tunc Opus etiam Fidei, quô justificamur, & illa Oratio, qua dicimus: *Dimitte nobis debita nostra,* essent peccata gravia. Siccíne peccata adeò prosunt, ut peccatorum remissio, Justitia, Regnum Cælorum, non nisì peccatis mortalibus obtineri possit? cùm tamen scriptum sit: *Nihil conniquinatum intrabit in Regnum DEI.* Apoc: 21. *Et Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? qui ingreditur sinè macula, qui operatur Justitiam, innocens manibus, & mundo corde.* Psal. 23.

Accedit, si opera bona, peccata sunt, quomodo illis Fides, demonstrari potest? ùt volunt Novatores. Requirítne DEUS in Fidei signum & testimonium, ut peccemus? Demum, quomodo Actio est simpliciter bona, si est mortaliter peccaminosa? cùm Bonum sit ex integra causa; malum ex singulis defectibus, teste Sancto Dionysio.

Docet non dari liberum arbitrium.

Tertiò. Docet Lutherus In Assertione Articuli 36. quòd *liberum arbitrium sit figmentum in rebus seu titulus sinè re; quia nulli est in manu sua quidquam cogitare mali, aut boni: sed omnia ùt Vicleffi Articulus Constantiæ damnatus rectè docet, de necessitate absoluta eveniunt, Quod & Poëta voluit, quando dixit: Certa stant omnia Lege. - - Non est dubium, Satana Magistro, in Ecclesiam venisse, hoc nomen liberum Arbitrium.* Et Carolus V. Imperator, in edicto suo quod exstat Tomo secundo Lat: Viteb: contra Lutherum, dicit: *Confirmat etiam Lutherus ex Ethnicorum Poëtarum fabulis; nullam esse libertatem Naturæ hominis, eò, quòd determinatio Divina sit rata & immutabilis.* In glossis marginalibus ad edictum Imperatoris, apposuit Lutherus verba ista: *Poëtæ hìc intelliguntur, Joannes, Paulus, Petrus.* Sed contrarium docet, tam Christus Dominus Matth. 19. & 23. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti.* Et pluribus aliis in locis Sacra Scriptura Tum Sancti Patres, ex quibus Sanctus Augustinus sufficiat.

Quis (inquit Lib: de Fide contra Manichæos cap. 10.) *Non clamat ſtultum eſſe, dare præcepta ei, cui liberum non eſt, quod præcipitur facere; & iniquum eſſe, eum damnare, cui non fuit poteſtas, juſſa complere.* Tum ipſa Experientia, nam pro libitu noſtro loquimur, aut ſilemus; ſurgimus, aut ſedemus &c. Videtúrque inficiator libertatis, potenter verberandus, donec fateatur, eum à quo verberatur, poſſe libere deſiſtere. Rectè ipſe Melanthon in Diſputatione de Providentia & Contingent: Tomo 1. Latin: Viteb: Lutheri ait: *Falſa eſt & pernicioſa moribus & Religioni Stoicorum opinio, quæ affirmat, omnia neceſſariò evenire.*

Quartò. Docet relinquendum eſſe judicio cujuſvis privati Chriſtiani hominis, quid credendum ſit, quid non: rejecta etiam Auctoritate Eccleſiæ, Conciliorum & Patrum. Unde ſic argumentatur ineptiſſimè, in libro de inſtituendis Miniſtris. *Eſt Chriſtianus; ergo habet Spiritum Sanctum; ergo eſt Judex omnium - Chriſtianus eſt certus, quid credere debeat & quid credere non debeat: ergo eſt Judex omnium.* Huic Doctrinæ veluti principio & fundamento, quidni quivis Hæreſiarcha facilè ſuperſtruere poteſt ſua perverſiſſima Dogmata?

Infantes Chriſtianos actualiter credere.

Quintò. Contra omnem rationem, & ſenſum, docet; Infantes dum baptizantur, divinos quoſdam motus, internis ſenſibus percipere, promiſſiones Evangelicas audire; & promittenti DEO actu credere. In Commentario enim in tertium Caput Epiſtolæ ad Galatas, pluribus probare nititur; nullos eſſe Filios Abrahæ, niſì credentes; per credentes intelligens illos, qui actualem Fidem habent: habitus enim infuſos, proinde & habitum Fidei, nullibi admittit dari. Et in majore Cathechiſmo Cap: de Baptiſmo dicit: *Quanquam pueri non crederent, quod nullo modo affirmandum eſt, (ùt jam eſt oſtenſum) tamen Baptiſmus verus eſſet.* Itèm ad Valdenſes ſcribit: *Quomodo probabitur parvulos non credere?* Et Articulo ex Articu-

ticulis 76. contra Lovanienses Tomo secundo ait : *Falsissimum & temerarium est, in infantibus baptizandis, quòd non credant.*

Ex hac Doctrina Lutheri, exordium suum sumpsit Anabaptismus, qui ex Saxonia prodiit. Meritò enim Anabaptistis absurdum videbatur, infantes habere usum rationis, & actualem Fidem propriam: quod docebat Lutherus, ideóque satius illis visum est, non baptizare infantes, sed non nisi adultos, & actu credentes.

Transsubstantiationem in Eucharistia esse figmentū.

Sextò. Contra Transsubstantionem insurgit taliter, in libro contra Regem Angliæ. *Tutissimi sumus, merissimum esse impiorum Thomistarum figmentum, quidquid blaterant de Transubstantiatione ista; éstque firmiter verbis DEI nitendum, ubi in Paulo, simpliciter & purè dicit: Panem esse verum Corpus Christi; quem frangimus & manducamus. Decerno impium esse & blasphemum si quis dicat, panem transsubstantiari.* Hæc Doctrina Lutheri erronea est. Tum quia ipsemet de Capitiv: Babyl: cap: de Eucharistia, dicit non esse Articulum Fidei, utrùm fiat transubstantiatio, vel non; sed utrumque posse defendi sinè periculo Hæresis. Cur ergo hìc decernit, impium esse & blasphemum, si quis dicat panem transsubstantiari ? Tum quia transsubstantiationem dari in Eucharistia docuit semper Ecclesia Christi ; ùt probat fusè Bellarminus, citando pro hac Doctrina, supra triginta vetustissimos Auctores, qui vixerunt ante Innocentium III. inter quos, ità loquitur S. Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus, qui floruit circa Annum 1080. *Panis* (inquit in Epistola de Corpore Domini.) *Substantiam post Dominici Corporis consecrationem in Altari superesse, semper abhorruit pietas Christiana, nupérque* (idest in Concilio Romano sub Nicolao II. quod celebratum est circa Annum 1060. & itidem in Concilio Romano sub Gregorio VII. quod celebratum est Anno 1079.) *damnavit in Berengario Turonensi, ejúsque sequacibus.* Tansſubstantiari itèm panem in Corpus Chri-

Christi, definivit clarè Concilium Generale Lateranense, sub Innocentio III. celebratum Anno 1215. (nota: Sanctus Thomas natus est Anno 1224. Unde Transsubstantiatio, non est Thomistarum Figmentum) ùt patet ex capite primo, ejus Concilii, quod incipit: *Firmiter credimus.* Idémque Fide Divina, credendum statuit Concilium Constantiense, Florentinum, & Tridentinum. Itáne tot sæculis in impio & blasphemo errore fuit Universa Ecclesia, Columna Veritatis? Vocatur Eucharistia Panis, etiam post Consecrationem; quia, ùt panis reficit, ùt panis videtur, & quia ex pane confecta est: non autem ideo vocatur Panis; quasinam simul maneret substantia panis, cum Corpore Christi.

Septimò. Docet multis in Locis, Impossibilem esse observationem Legis Divinæ, Et tamen dicitur 1. Joan: expressè: *Hæc est Charitas DEI, ut mandata ejus custodiamus, & mandata ejus gravia non sunt.* Et Augustinus Lib: de Nat: & Gratia cap: 43. *DEUS impossibilia non jubet.* Itèm si Præcepta DEI servari nequeunt, à Lutheri Asseclis, quidni inferatur rectè, eos idololatras saltèm imperfectè, fures, adulteros, &c.

Præceptorum Divinorum impoßibilem esse observantiam.

Octavò. Dicit In Postilla Ecclesiastica, Dominica prima Adventûs *Cujusvis Molitoris Ancilla fide prædita, plus boni præstat, pluráque impetrat, equidem merito ejus longè plus quoque fiderem, cùm asinam duntaxat exonerat frumentô, aut similem aliquam vilem operam famulitii sui facit; quàm omnes simul Clerici & Monachi præstent, aut impetrent; si totos etiam dies, totásque noctes psallerent, seséque ad vomitum Sanguinis usque discruciarent.*

Ancillam Molitoris plus mereri quam Omnes Ecclesiasticos.

En Sancte Augustine, Novus Petilianus; imò longè eò maledicentior, ex tuo Sacro Ordine transfuga, Apostata, & Hæresiarcha novus (utor tuismet verbis Lib: tertio; contra Petilianum cap. 40.) *Perrexit ore maledico in Vituperationem Monasteriorum, & Monachorum* & Religiosorum, arguit te, arguit Sanctum Basilium, Benedictum, Bernardum, Cælestinum, Domini-

minicum, Franciſcum & alios Sanctiſſimos Viros, quod à Te & ab illis fuerit inſtitutum, hoc vitæ genus, quod tamen quivis Sanctorum Patrum, & piorum ſcriptorum ſummis laudibus in cælum attollere eſt conatus; è contra nemo fuit Hæreticorum, qui non ſummè voluit eſſe depreſſum.

Plus apud Deum mereri Ancillam quàm omnes Religioſos.

Nono. In Caput 20. Geneſis Commentando, ſcripſit *Ancilla cùm mulget vaccas, ſervus cùm paſtinat agrum, modò fidelis ſit, hoc eſt, ut ſtatuat placere DEO, tale vitæ genus & à DEO inſtitutum eſſe, DEO magìs ſervit; quàm omnes Monachi & Monachæ, qui de ſuo vitæ genere certi eſſe non poſſunt.*

Magnus & Sanctus Antonius, ùt ſcribit S. Athanaſius in ejus vita, dicebat. *Omnes quidem Chriſtianos, Diabolus odit, ſed probos Monachos, Chriſtíque Virgines, tolerare nullo modo poteſt.* Quid ergo mirum quod eos tolerare nequeat etiam Lutherus, Dæmoni familiariſſimus, ùt ipſemet fatetur, imò & ejus Diſcipulus, ùt conſtat ex Diſputatione Lutheri habita cum Diabolo quæ exſtat Tomo 7. & habetur etiam magna exparte in mea defenſione Theologiæ Scholaſticæ in fine Tractatûs quinti.

S. Hieronymum pertinuiſſe ad Statum Conjugatorū.

Decimo. In Caput 7. Epiſtolæ primæ ad Corinth Commentando ſcribit: *Hieronymus, in numero erat eorum, qui pertinuerunt ad matrimonium, ſibique injurius fuit ipſe, multáque conatus eſt, nè conjugatus fieret.* In Colloq: Sympoſ: tit: de Schol. Theol: *Meliùs ſibi conſuluiſſet Hieronymus, ſi ex Pauli conſilio uxorem potiùs duxiſſet - Quia Caſtitas plena eſt tentationibus.*

Sed unde Luthero innotuit Hieronymum pertinuiſſe ad numerum conjugatorum? An quia tentationes Carnis ſenſit? Quid tum? Nunquid præter alias caſtiſſimas Virgines, & Viros inſigni perpetua continentiâ conſpicuos, non ſenſit tentationes ejuſmodi & S. Paulus ùt conſtat ex Epiſt: ad Roman: 7. Et ex 2. ad Corinth: 12. ubi dicit: *Datus eſt mihi ſtimulus carnis*? húncque ſtimulum, fuiſſe concupiſcen-

tiæ motus, libidinísque tentationes, intelligunt Sancti Patres, Augustinus, Hieronymus, Cyprianus, Anselmus, Beda, Thomas, & alii, vide Cornelium à Lapide. & ideóne S. Paulus pertinebat ad numerum Conjugatorum ? Ubi S. Hieronymo, ut uxorem duceret, consuluit S. Paulus? Scripsit quidem: *Meliùs est nubere* (scilicet voto castitatis non adstrictis) *quàm uri*; sed *uri*, non significat calere & tentari libidinis ardoribus, sed iis vinci & consentire: Nec enim uri dicitur ab igne, qui ejus calorem sensit, verùm qui ab eo læditur & aduritur. Noverat bene Hieronymus, qui fuit Monachus, & voto castitatis, adstrictus, damnationis æternæ esse reos, teste S. Paulo, qui primam Fidem, volendo uxorem ducere, irritam faciunt.

Undecimo. Multis in locis Doctrinâ suâ ad Seditiones impellit: jactabat enim sæpè Evangelii sui indolem esse, bella & seditiones movere. Et Anno 1523. scripsit de sæculari Potestate Librum Seditiosissimum, in quo ità dicit: *Is est hodie rerum status, ut Tyrannidem Vestram o Principes, ampliùs ferre homines nec velint, nec possint: transformari vos oportet, & Verbo DEI cedere. Quòd si plebs hoc tempore non perficiat, alii succedent à DEO ad hoc excitati. Scire debetis, quòd ab initio Mundi rara admodum avis est Princeps prudens; adhuc multò rarior Princeps probus. Sunt communiter maximè fatui ac pessimi nebulones super terram, & ipsi sunt Lictores & Carnifices DEI.* Et Anno 1524. scribens contra edicta duo Caroli V. ait: *Christianos omnes adhortor, seu potiùs obtestor, ut mecum conjungant preces suas pro tam miseris, & fascinatis Principibus; quos DEUS citra dubium inflammatus irâ tanquam pestes, & ἀλάστορας immisit nobis, nè temerè consentiamus ad suscipiendam expeditionem, aut conferendas pecunias adversùs Tyrannum Turcicum; Cùm Turca longè solertiâ, Consiliô, integritate, moderatione, nostros Principes antecellat.* In Bulla itèm contra Ordinem Ecclesiasticum. *Quicunque* (inquit) *opem ferunt,*

Lutherus plurimùm seditiosus.

runt, corpus, bona, & famam in hoc impendunt, ut Episcopatus devastentur, & Episcoporum regimen extingvatur, hi sunt dilecti filii DEI, & veri Christiani. Hinc ex scriptis & dictis Lutheri tam seditiosis & sanguinariis, concitata plurima millia Rusticorum in Germania Anno 1525. Duce Muntzero, Hetzero, & aliis, Monasteria & templa ab iis sunt expilata, sed & Nobilium arces incensæ, destructæ: Comites aliquot & Illustres Viri plurimi trucidati: in sola Franconia, tantus Monasteriorum atque Castrorum per illos vastatorum fuit numerus; ut ad trecenta numerata fuerint. Quanquam brevì post compressi rebelles rustici; & illorum supra centum triginta millia cæsa sunt: ipséque Muntzerus captus, sed resipiscens Catholicæ Ecclesiæ reconciliatus, capite plexus est. Ista inaudita post Germanorum memoriam domestica calamitas, cui obsecro (inquit Prateolus Theologus Parisiensis, qui proximè vixit & scripsit post Lutheri obitum) alteri acceptam referat Germania, quàm uni Martino suo Luthero? Orta etiam paulò post, alia gravissima in Cæsarem bella; per quæ imminutæ sunt plurimùm vires Imperii contra Christianitatis hostem Turcam: Imò, *An non plerique apud Saxones* (scribit Erasmus Epist: ad Fratres Inferior: German:) *negârunt Cæsari ac Regi Ferdinando suppetias adversùs vim Turcarum, sequentes dogma Lutheri? nonne voces hasce jactârunt Evangelici, se malle pugnare pro Turca non baptizato, quàm pro Turca baptizato? hac Nota designantes Cæsarem?* Ideoque non mirum, quod Turcarum Imperatori placuerit Lutherus, ùt constat ex Historia, quam describit Joannes Aurifaber eximius Lutheri præco, & ei familiarissimus. *Præstans* (inquit in Colloq: Symposi: cap: 75. Edit: Franco: Anno 1568.) *& Fide dignus Vir nomine Schmaltcius Civis Hagenoënsis, qui in Legatione ad Turcam fuit, referebat, Turcicum Imperatorem interrogâsse, quid hominis esset Lutherus? & quot annos natus? cúmque respondisset Legatus, esse il-*

Placuit Turcarum Imperatori & quanam de Causa.

lum

lum annorum circiter quadraginta octo. dixisse Turcam: Optarem eum adhuc juniorem: Nam me sibi gratiosum Dominum haberet. Quidni gratiosus Turcis Lutherus? quos tam eximiis & suprà visum, condecoravit elogiis, causáque fuit tantarum seditionum, & profusionis sanguinis Christiani? Fateor, contra Agricolas seditiosos, Librum sævissimum à Luthero conscriptum esse. Sed tunc primùm conscriptum scio, cùm videret contra suum intentum, eos jam ferè totaliter debellatos: Priores autem Libros ad seditionem concitativos, ex quibus aliqua annotavi suprà, scriptos novi ante exortas seditiones. Porrò, solemne fuit Luthero, ut suamet placita in aliis peracerbè castigaret, postquam eo, quem sperabat exitu destituta esse conspexit. Quidnì itèm Turcis Lutherus gratiosus? qui negavit, licitum esse Christianis bellum gerere contra Turcas, Tomo secundo: Articul: 34. fol: 116. verbis his: *Præliari adversùs Turcas est repugnare DEO, visitanti iniquitates nostras per illos.*

Et in libro de bello contra Turcas addit: Concilia omnia & Conventus Principum Germaniæ, Deo permittente & Principes irridente, ad id usque tempus gubernatos fuisse à Diabolo, idque non aliam ob causam, quàm ut ipsius Articulus de non bellando contra Turcas à Leone X. damnatus, indemnatus efficáxque permaneat.

Si quæras, benevole Lector præter superiùs recensita admirandè erronea Lutheri Dogmata, & refutata, Supersúntne adhuc alia? Respondetur haud dubiò superesse ingentem illorum cumulum: ex quorum numero sat multa etiam proposui in libro, cui Titulus: Defensio Theologiæ Scholasticæ per enervationem ultra sexaginta Lutheri Thesium oppositarum Theologiæ. Elenchum eorum, ex parte, hic appono.

Propositiones variæ Lutheri erroneæ.

Impiissimus abusus est in Ecclesia, persvaderi, Missam esse opus bonum, & Sacrificium.

 Ne-

Negare utramque speciem Laicis, est impium, & Tyrannicum: nec in manu ullius Angeli, necdum Papæ, aut Concilii cujusquam.

Certum est, remissa esse peccata, si credis remissa.

Intentio Ministri, non requiritur ad valorem Sacramenti.

In Theologia verum est: Verbum esse Carnem factum: in Philosophia simpliciter impossibile, & absurdum.

Magis disparata est prædicatio: Deus est Homo: quàm si dicas: Homo est asinus.

Vota Religiosorum sunt impia & DEO repugnant.

Non potest vitari præsumptio, nec adesse vera Spes, nisì in omni opere timeatur Judicium damnationis.

Infusa Fides, est merum somnium.

Fides informis, est mera incredulitas contra Christum.

Non est verum, quod Ignorantia invincibilis à toto excuset.

Homo nullum actum, sive bonum, sive malum elicit, qui procedat ab ipsius libero Arbitrio.

Certi sumus, animas impiorum dormire.

Magister Sententiarum non satìs rectè docuit, Essentiam Divinam nec generari, nec generare.

Vanissimô commentô dicitur: Prædestinatus potest damnari, in sensu diviso, sed non in composito.

Nulla forma Syllogistica tenet in Terminis Divinis.

Doctoratus Theologiæ, est certum legitimæ Vocationis & missionis divinæ indicium, ad docendum etiam opposita Dogmata pristinæ Fidei Catholicæ.

Impossibile est apud Scholasticos Theologos intelligi: Quid sit peccatum, Fides, Justificatio, Lex? Non sunt hæc in eorum Libris.

Universitates, Studia Collegia, Graduationes, & Magisteria

ſteria in eiſdem, ſunt vana gentilitate introducta, & tantum proſunt Eccleſiæ, ſicut diabolus.

Adoleſcens vitet Theologiam Scholaſticam, ùt mortem Animæ ſuæ.

Non ſunt Evangelia tam obſcura ut pueris non poſſint ea patere.

Quo tempore cœpit Theologia Scholaſtica, eodem evacuata eſt Theologia Crucis, ſúntque omnia planè perverſa.

Theologia Scholaſtica, eſt falſa Scripturæ & Sacramentorum intelligentia, & exulem nobis fecit veram & ſinceram Theologiam.

Præterea in libro, cui Titulus: Defenſio Ariſtotelis, & Philoſophiæ Peripateticæ, propoſui quinquaginta Lutheri Propoſitiones erroneas, quas ibidem enervatas vide.

CAPUT VII.

ASſero ſeptimò, Lutheri Doctrina ex eo etiam eſt admirandè erronea, quia per eam, jam olim pridem ſepulta dogmata impia, ab inferis revocata ſunt.

Lutheri Doctrina continet errores Aërianorum.

PRobatur. Sanctus Auguſtinus, quem ipſemet Lutherus in Colloq: Menſal: titulo de Patribus, nominat, Præcipuum Lumen Eccleſiæ, omníque laude dignum; Calvinus verò eundem appellat in Lib. 4. Inſtit: cap: 14. §. 26. *Optimum ex tota Antiquitate, & fideliſſimum teſtem*; Virúmque Sanctum pluries in iisdem Inſtitutionibus vocat: Is ergo Divus Auguſtinus, recenſendo Veteres Hæreſes, & variorum Hæreſiarcharum impia dogmata, inter cætera, Lib: de Hæreſibus, Hæreſi. 53. & 54. ſcribit ſic: *Aëriani* (circa annum Do-

 mini

mini 342. exorti) *ab Aërio quodam sunt nominati, qui cùm esset Presbyter, doluisse fertur, quòd Episcopus non potuit ordinari, & in Arianorum Hæresim lapsus, propria quoque dogmata addidisse nonnulla, dicens: Orare vel offerre pro mortuis Oblationem, non oportere: nec statuta solenniter celebranda esse jejunia: sed cùm quisque voluerit jejunandum, nè videatur esse sub lege. Dicebat etiam, Presbyterum ab Episcopo, nullâ differentiâ debere discerni.*

Aëtianorum. *Aëtiani ab Aëtio sunt vocati* (circa Annum 358. exorti) *Iidémque Eunomiani, ab Eunomio, Aëtii discipulo, quo nomine magìs innotuerunt. Eunomius quippe in Dialectica prævalens, acutiùs & celebriùs defendit hanc Hæresim, – Fertur adeò usque fuisse bonis moribus inimicus, ut asseveraret, quòd nihil cuique obesset, quorumlibet perpetratio ac perseverantia peccatorum, si hujus, quæ ab illo docebatur, fidei particeps esset.*

Pepusianorum. *Pepusiani,* (emerserunt ii circa Annum 181.) *à loco quodam nominati sunt* (inquit idem Sanctus, Hæresi 27.) *tantum dantes mulieribus principatum, ut Sacerdotiô quoque apud eos honorentur.*

Donatistarum. *Donatistæ* (exorti circa annum 358.) *docuerunt, quòd Ecclesia* (scribit idem Sanctus Pater, Hæresi 69.) *propter crimina Cæciliani Episcopi Carthaginensis seu vera, seu quod magìs Judicibus apparuit, falsa, de toto terrarum Orbe perierit; ubi futura promissa est, atque in Africa, Donati parte, remanserit; in aliis terrarum partibus, quasi contagione communionis extincta.* Apellârunt cum Petiliano, *Cathedram Apostolicam, in qua Petrus sedit, cathedram pestilentiæ* teste eodem Sancto contra literas Petiliani lib: secundo. cap. 51. Idem *Petilianus* (cum suis Donatistis) *perrexit ore maledico in vituperationem Monasteriorum & Monachorum; arguens etiam me* (ait S. Augustinus contra Petilianum lib: tertio cap. 40.) *quòd hoc genus vitæ à me fuerit institutum.*

Manichæorum. *Manichæus Faustus,* cum suis Asseclis *Nobis* (inquit idem Doctor contra Faustum Manichæum lib. 21.) *calumniatur; quòd Martyrum memorias honoramus, in hoc dicens, nos idola convertisse – sed maledicendi cupiditate Faustus, quid profiteretur, oblitus est. Populus Christianus memorias Martyrum Religiosa solemnitate concelebrat:*

brat: *Et ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur, ità tamen; ut nulli Martyrum, sed ipsi DEO Martyrum, Sacrificemus: quamvis in memorias Martyrum constituamus Altaria.* Et Lib: de Hæresibus, hæresi 82. scribit: *A Joviniano Monacho, Jovinianistarum hæresis Orta est, ætate nostra, cùm adhuc juvenes essemus. Hic omnia peccata, sicut stoici Philosophi, paria esse dicebat - Nec aliquid prodesse jejunia, à Cibis aliquibus abstinentiam; Virginitatem etiam Sanctimonialium, & continentiam sexûs Virilis, in Sanctis eligentibus Cælibem vitam, Conjugiorum castorum atque fidelium meritis adæquabat: ità, ut quædam Virgines Sacræ, provectæ jam ætatis in Urbe Roma, ubi hæc docebat, eo audito, nupsisse dicantur - citò tamen ista hæresis oppressa & exstincta est: nec usque ad deceptionem aliquorum Sacerdotum potuit pervenire.* *Joviniani.*

Nota tamen, quòd prædictus Jovinianus, nunquam habere volebat uxorem; docebàtque Episcopum esse non posse, qui filios faciat. ùt testatur Sanctus Hieronymus, in Lib: contra Jovinianum cap: 16.

Sanctus Epiphanius, *Scriptor* (utor verbis Sancti Augustini, Epistolâ ad Quodvultdeum) *in doctrina Catholicæ Fidei laudabiliter diffamatus*: in Lib: tertio contra hæreses, hæresi 75. scribit hæc: *Aërius, cui sermo furiosus magìs, quàm humanæ conditionis, dicebat: Quid est Episcopus ad Presbyterum? nihil differt hic ab illo, Unus enim est Ordo, & unus (inquit) honor, & una dignitas. Deinde, quâ ratione, post mortem nominatis (inquit) nomina mortuorum? orat enim (inquit) vivens, aut dispensationem facit, quid profuerit mortuo? sed neque jejunium (inquit) erit ordinatum; hæc enim judaica sunt, & sub jugo servitutis: justo enim non est lex posita, sed patricidis, & matricidis, & reliquis. Si verò omnino volo jejunare; qualemcunque eligam diem à me ipso; & jejunabo propter libertatem. Unde apud ipsos studium est, ut potiùs in die Dominica jejunent, quarta verò & pro Sabbatho edant.* (in Latina Ecclesia, feria sexta & Sabbatho jejunatur; in Græca, feria

quarta

quarta & Sabbatho.) *In diebus autem Paschatis* (id est in Hebdomoda Sancta) *quando apud nos fiunt humi dormitiones, Castitates, afflictiones, siccorum esus, preces, vigiliæ, ac jejunia? & omnes animarum salutes, per sanctas afflictiones; ipsi à summo manè obsonantur; carnéque ac vino venas suas explentes, cachinnantur, ridentes ac subsannantes eos, qui sanctum hunc cultum hebdomadalis Paschatis perficiunt. Hæc sunt, quæ Aërius in mundum evomuit.* Et in Indice in Lib: 3. contra Hæreses. *Aëtiani, aberrare aliquem in aliqua scortatione, aut alio peccato, nihil esse ajunt: Nihil enim, inquiunt, quærit DEUS; quàm ut sit quis solùm in ipsorum Fide.*

Simonis Magi. Sanctus Irenæus Lib: primo adversùs hæreses, cap: 20. testatur, docuisse Simonem Magum, *Salvari homines non secundùm operas justas,* id est non bonis operibus, sed sola Fide hominem salvari.

Sanctus Hieronymus Tomo secundo in Proœmio in Dialogo adversùs Pelagianos ait: *Manichæorum est, Hominum damnare naturam, & liberum auferre arbitrium, & adjutorium DEI tollere.* Et Libro contra Vigilantium, refert, Vigilantium docuisse, non esse honorandas Sanctorum Reliquias, nec esse Sanctos invocandos, nec expedire, ut relinquantur omnia, & dentur pauperibus, & ad Religionem, relictô sæculô properetur. Ecclesiasticos itèm, debere esse uxoratos. Et Epistola 53. ad Riparium idem S. Doctor scribit: *Vigilantius fœtidum os iterum aperit, & putorem spurcissimum, contra SS. Martyrum profert Reliquias: & nos, qui eas suspicimus, appellat Cinerarios & idololatras, qui mortuorum hominum ossa veneramur.*

Nónne hæc impia dogmata veterum Hæreticorum, recensita à Sanctis Patribus, & in antiqua Ecclesia, à prædictis Patribus & omnibus Orthodoxis pro damnatis, & impiis habita, pridémque sepulta, nónne inquam ab inferis revocavit Lutherus? Utique ille negando dari purgatorium, & Missæ sacrificium auferendo, jejuniáque consveta Ecclesiæ tol-

ſiæ tollendo, docuit cum Aërio & Aërianis. *Orare vel offerre, pro mortuis Oblationem, non oportere, nec Statuta ſolenniter celebranda eſſe jejunia?* Utique cum Aërio aſſeruit, *quòd Presbyter nihil differat ab Epiſcopo?* inauditóque in Eccleſia Orthodoxa Exemplo, ipſemet Lutherus Ordinavit in Presbyteratum plures, inter quos, Georgium Rorarium Anno 1525. & Benedictum Schichmann, Anno 1540. imò etiam duos Epiſcopos ordinavit, ſcilicet Merſeburgenſem, & Naumburgenſem. Itèm cum Pepuſianis, dedit mulieribus tantum principatum, ut eis Sacerdotalem poteſtatem tribuerit. Utique cum Eunomio & Aëtinis aſſeveravit: *Nulla peccata cuique obeſſe, modò Fidem habeat.* Utique longè majori maledicentiâ, quàm olim Donatiſtæ, vel Vigilantius, inſurrexit contra Cathedram Petri, Monachorum vitam, Eccleſiaſticorum Cælibatum, Sanctorum Reliquias? Nónne Lutherus cum Simone Mago, docuit, hominem adultum, *ſola Fide ſalvari, & non ſecundùm operas juſtas?* Imò Opus bonum optimè factum, ex natura ſua, eſſe peccatum mortale? Nónne cum Manichæis, liberum ſuſtulit Arbitrium? & cum Manichæo Fauſto, calumniatur nos Catholicos, *quòd Martyrum Memorias honoremus, in hoc dicens nos idola convertiſſe? &c.* Sanctus Bernardus ſerm. 65. & 66. in Cantica, recenſet etiam ſui temporis hæreticos quoſdam, qui ſe ipſos Apoſtolicos appellârunt; & ex Manichæorum fontibus derivârunt, plures errores. Nam Vetus Teſtamentum non recipiebant; ſed Evangelia tantùm: Omnes qui de Eccleſia ſunt, canes eſſe cenſebant, & porcos: Secretum cum perjurio uſurpabant &c. Inſuper his erroribus habebant admiſtam hæreſim communem Luthero: nam ùt ſcribit S. Ber. ſerm. 66. in Cantica. *Irrident nos, quòd oramus pro mortuis; quòd Sanctorum ſuffragia poſtulamus - non credunt ignem purgatorium reſtare poſt mortem, ſed ſtatim animam ſolutam à corpore vel ad requiem tranſire, vel ad damnationem.* Et adhuc

Et variorum aliorum Veterum Hæreticorum

adhuc effutiebant illud: *Peccatores sunt Apostolici*, nempe Romani Pontifices, *Archiepiscopi*, *Episcopi Presbyteri*, *ac per hoc*, *nec dandis*, *nec recipiendis idonei Sacramentis*. Hæc, qui scribit, simul & refutat per singula, idem Sanctus Bernardus, virtute miraculorum, & eximia vitæ Sanctitate conspicuus. Vide Baronium ad Annum 1147.

Rectè proinde Carolus Quintus in Edicto suo contra Lutherum lato Wormatiæ ex assensu & consilio Electorum & omnium Sacri Imperii Principum, Ordinum & Statuum Anno 1521. dicit (ùt exstat Tomo 2. Lat: Viteb:) *Constat*, *Lutherum non hominem*, *sed dæmonem potiùs*, *figurâ & specie humana*, *cucullóque Monasticô indutum*, *complurium Hæreticorum*, *extremè damnatas Hæreses* (*quæ diu jam obsoleverant*) *in unam quasi Lernæam paludem coëgisse* ; *multásque præterea recentes*, *atque novas excogitâsse*, *hoc prætextu* ; *quòd Fidem prædicet*, *quam propterea sedulò inculcat*, *omnibus*, *ut veram sincerámque Fidem destruat & labefactet*, *ac sub nomine*, *fucóque Evangelicæ Doctrinæ*, *Omnem Evangelicam pacem & Charitatem*, *bonarum rerum harmoniam*, *atque Constitutionem*, *ipsam denique pulcherrimam Ecclesiæ Hierarchiam*, *extinguat*, *evertat*, *dissolvat*, *& obruat*.

CAPUT VIII.

ASsero octavo, Admirandè erroneum Medium adhibuit Lutherus ad Confirmationem suæ Doctrinæ.

PRobatur. Quia, cùm esset Sacerdos, & Monachus, Professus annis pluribus, incestas, divinísque ac humanis legibus interdictas contraxit nuptias cum Moniali professa Catharina Borrha Anno 1525 Friderico Electore Saxoniæ è vivis sublato; nam eo vivente non est ausus palam libi-

dini

dini indulgere: nè Principem, quem reformationis, pietatísque larvâ deceperat, tantâ impudentiâ offenderet &c. Porrò illas contraxit nuptias, ut iis confirmaret suam doctrinam. Tomo enim secundo. Epist. folio: 30. Epist: ad Michaëlem Stifel scribit; *Non duxi uxorem, ut diu viverem, sed ut meam doctrinam, fortè mox post meam mortem conculcandam, iterum propriô exemplô relinquerem confirmatam pro infirmis.* Et Epist: ad Ambsdorfium. Tomo secundo fol. 295. ait: *Vera est Fama, me esse cum Catharina subitò copulatum; ut confirmem factô quæ docui.* Admirandum verè, & antea in Ecclesia Christi inauditum, confirmandæ Euangelicæ Doctrinæ medium! imò ex eo etiam magis admirandum, quòd (ùt graves Autores cum Doctore Pistorio referunt) Lutherus, sedecim diebus prius consumaverit nuptias; quàm eas publicè celebraverit. Non absimili mediô confirmarunt etiam Euangelium postea quintum Lutheri plurimi Apostatæ. Quis enim unquam (ùt plurimi notârunt cum Patre Gretsero Theologo Doctissimo) ex Catholicis Sacerdotibus, vel Monachis, ad Lutheri Castra transiit; qui aliquam mulierem secum non adduxerit, vel de quàm primùm ducenda non sollicitè circumspexerit? simul ac Spiritum hujus Euangelii imbibunt Apostatæ, simul etiam Spiritum ducendæ uxoris. Et ità se gerunt, quasi Christus dixisset Marci ultimo: Signa eos qui crediderint hæc sequentur: Vota non reddent Domino, sed illa antea facta, & juramenta, violabunt: Uxores, licèt votum antea emiserint perpetuæ continentiæ, ducent: etiam eas Matrimonio sibi copulabunt, quæ DEO virginitatem suam desponderant: Nec non Patres miraculis, Sanctitate, antiquitate, doctrina conspicuos, contemnent. Itèm, quasi Christus dixisset Matthæi 19. Omnis qui domum exstruxerit, vel exstructam retinuerit, & uxorem duxerit, vel ductam retinuerit, filiósque vel potiùs spurios procreaverit, pro-

Lutherus in Confirmationem Doctrinæ suæ Monialem in uxorem duxit.

pter Nomen meum; centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Nullus Apostolus tali mediô unquam confirmavit Doctrinam Euangelii Christi: sed miraculis & sanguine, & perpetuâ, saltèm post prædicandi opus susceptum continentiâ. Justinianus Imperator Novel. 123. Legem talem statuit; *si post ordinationem, Presbyter, aut Diaconus, aut Subdiaconus, uxorem duxerit, rejicitor à Clero; & Curiæ Civitatis, in qua Clericus erat, traditor.* Quid Statueret in Lutherum? qui non solùm Presbyter, sed & Professus Monachus fuit, & Monialem in Uxorem duxit.

Qualianam miracula patravit Lutherus ad comprobandam Doctrinam suam?

Accedit, quòd Tomo 6. Viteb. fol. 247. Lutherus habet pro Magno miraculo, dum Monialis deserit Claustrum; consequenter, ipso Judice, Magnum debet reputari miraculum, si quis efficaciter etiam procuret, ut Moniales, vel Religiosi sua deserant Claustra. Et talia certè miracula, in confirmationem suæ doctrinæ plurima patravit Lutherus. Tomo enim secundo Latin. Epistol. fol. 300. ad Stifelium Anno 1525. diè Sancti Michaëlis. *Hac nocte* (scribit Lutherus) *Tredecim Moniales ex Ditione Ducis Georgii afferre curavi, & rapui Tyranno furenti, hoc spolium Christi.* Itèm antea, Leonardum Coppum & Volfium Tomitsch concitavit; ut novem Moniales (inter quas fuit & illa Borrha) ex Nimicensi monasterio raperent, & Vitebergam adducerent; quod & factum. De hoc raptu in Epistola sua ad Apostatam Sacerdotem Spalatinum (à Patria sic nominatum, nam à Patre suo, Spalatensi Cive & Coriario Burkhardus nominabatur) Tomo secundo Latin: Epist: fol: 131. effusè gloriatur, & se singulis, de conditione prospecturum pollicetur. Quod quidem tam largiter præstitit, ut unam ex novem illis (jam annos aliquot Vitebergæ, varia per studiosorum oscula volutatam, ùt scribit Prateolus) sibi ducendam duxerit. Prætereo alias plurimas Virgines Deo consecratas, & Religiosos viros,

viros, qui variis illicitis, præſertim carnis illecebris, per Lutherum, ejúſque Doctrinam in Apoſtaſiæ & exitii barathrum præcipitati ſunt.

Lex quinta Cod: de Epiſcopis & Clericis, eſt hæc: *ſi quis* non dicam rapere, ſed vel attentare tantummodò, jungendi cauſa matrimonii, Sacratiſſimas Virgines auſus fuerit; capitali pœnâ feriatur. Pœna itidem capitalis ſtatuitur in Codice Juris Titul: de Epiſc: & Clericis in eos; qui conſcii & Miniſtri fuerint raptûs Monialium, vel conſilium ad id patrandum dederint. Decreta etiam Legum Francicarum, non abſimili pœna ejuſmodi transgeſſores plectere imperant. Et quali nam pœna feriri debet Lutherus, qui tot Virginum Monialium raptor & unius inſimul maritus fuit?

Qualis pœna antiquitus conſtituta in Raptores Monialium?

Sanctus Paulus insuper (juxta unanimem Sanctorum Patrum expoſitionem) teſtatur, damnationis æternæ eſſe reas illas Viduas; quæ Fidem Deo datam, ſive promiſſionem continentiæ Deo factam per votum, irratam fecerunt nubendo: (idem pariter dic de Viris voto Continentiæ adſtrictis, uxores ducentibus) *Adoleſcentiores* (inquit 1. Timoth. 5.) *viduas devita: Cùm enim luxuriatæ fuerint in Chriſto nubere volunt; habentes damnationem, quia primam Fidem irritam fecerunt.*

Teſte S. Paulo, damnationem incurrunt, qui votum Continentiæ violant.

Quæ verba Apoſtoli, Sancti Patres, uno ore qualiter exponant, audi. Hæreticorum Malleus, Teſte Divo Bernardo, Sanctus Auguſtinus explanans illud Pſalmi 75. Vovete & reddite DEO. ait: *Quiſque, quod vovere voluerit, illud attendat, ut quod voverit, reddat, ſi reſpicit retrorſum, malum eſt. Neſcio quæ Caſtimonialis nubere voluit, quid voluit? quod & Virgo quælibet: quid voluit? quod & Mater ipſius. Aliquid mali voluit? mali planè. Quare? quia jam voverat Domino Deo ſuo: quid enim dixit de talibus Apoſtolus Paulus, quæ voveruut & non reddiderunt? Habentes, inquit, damnationem, quia primam Fidem irritam fecerunt.* Et de Bono Viduitatis cap. 8. *Habentes damnationem, quia primam Fidem irritam*

Quod idem cum Divo Paulo, docent omnes SS. Patrus.

ritam fecerunt id est voluntatem ad nuptias à proposito Continentiæ deflexerunt: irritam quippe fecerunt Fidem, quia priùs voverant, quod perseverantiâ implere noluerunt. Similia habet cap. 9. Itèm de Adult: Conjug: cap: 15. & 24. ubi expreſsè dicit. *In iis qui voverunt castitatem, non tantùm capessere nuptias, sed nubere velle, damnabile est.*

Sanctus Hieronymus lib. primo contra Jovinianum *si* (inquit) *nupserit Virgo, non peccavit: Non illa quæ semet DEI cultui se dedicavit: harum enim, si qua nupserit, habebit damnationem, quia primam Fidem irritam fecit.*

S. Epiphanius Hæresi sexagesimâ primâ, ait: *Tradiderunt Sancti DEI Apostoli, peccatum esse, post decretam Virginitatem ad nuptias reverti – Docet nos idem Apostolus Paulus, dicens: Juniores viduas rejice; postquam enim lascivierunt contra Christum, nubere volunt: habentes Judicium, quòd primam Fidem rejecerunt, si itàque & ea, quæ post mundi experientiam, Vidua fuit, atque DEO dicata, & postea nupsit judicium & condemnationem habebit, quòd primam fidem rejecit: quantò magìs, quæ citra Mundi experientiam, DEO dicata Virgo fuit & nupsit.*

Sanctus Fulgentius Epist: de Conjugali debito. *Non peccat Virgo nubens si Virginitatem DEO priusquam nuberet, in corde non vovit – Nam & viduas quasdam Beatus Paulus vinculô pronuntiat damnationis obstrictas; quia scilicet post continentiæ professionem, nubendi receptam non abjiciunt voluntatem.*

S. Isidorus Lib. 2. de Offic: cap. 17. *Illas, dicit Apostolus non peccare, si nubant; quæ nondum voverunt DEO castitat m: Cæterùm vel quæ in corde promisit, si aliud fecerit, habet damnationem; quia primam Fidem, sicut ait Apostolus, irritam fecit.* Eodem modo etiam interpretantur prædictum Textum Sancti Pauli, Ambrosius, Basilius, Chrysostomus, Theophilactus, & alii Patres Græci & Latini; imò & Concilium Carthaginense quartum, cap: 104. per primam Fidem intelligit Votum Castitatis, &

Tole-

Toletanum quartum cap. 55. O quantam damnationem habet Lutherus, qui cum ſua Borrha, primam Fidem ſuam irritam fecit, & tot, exemplô & Doctrinâ, impulit ad irritandam primam Fidem !

QVæres an Lutherus etiam aliquo extraordinario ſupernaturali Medio confirmare ſaltèm voluerit ſuam doctrinam ?

Irrito conatu tentavit Lutherus, expulſionem dæmonis ex Energumena.

RESpondetur. Voluiſſe quibuſdam Miraculis ſed nullo ſucceſſu, ùt ex Fide dignis conſtat Hiſtoriis. Fridericus enim Staphylus, vir ſatìs magnæ Eruditionis, qui decem & ultra Annis Vitebergæ Luthero arctè convixerat: aſt poſtea cognitis ejus erroribus, rediit ad Eccleſiam Catholicam, repudiatô officiô Superintendentis, quod ipſi Lubecæ, & Auguſtæ, oblatum fuerat; Imperatoris & Alberti Ducis Bavariæ Conſiliarius; is inquam oculatus Teſtis, in abſoluta ſua Reſponſione contra Jacobum Smidelinum, refert ejuſmodi Hiſtoriam. Poſſum ego (inquit ille) redigere mihi in memoriam, Anno 1545. dæmoniacam quandam puellam è Miſniæ ditione adductam, Vitebergam ad Lutherum, eâ ſpe, quòd illam à malo dæmone liberaturus eſſet: quamvìs autem Lutherus, initiô non parùm difficilem ſe oſtenderet - tandem tamen juſſit puellam duci in Parochianæ Vitebergenſis Sacrarium, illícque coram aliis pleriſque eruditis viris (inter quos ego tunc quoque juvenis Magiſter aderam) dæmonem cæpit adjurare & exorcizare: ſed id tamen more ſuo, non eo, qui apud Catholicos receptus & uſitatus. Cùm autem ille diu multúmque conjuraſſet dæmonem, cedere ille noluit, ſed eas in anguſtias (ſit venia verbo) Lutheri caligas redegit, ut is quàm primùm è Sacrario ſe proripere vellet; at quid accidit? malignus ille dæmon, uſque

adeò

adeò fores Sacrarii obstruxerat, ut neque forinsecùs, neque intrinsecùs aperiri possent: quæ res Lutherum in majores angustias etiam adduxit: ità, ut jam ad fenestram properaret, sperans se per eam, posse effugere, atque exilire: verùm obstabant illi cancelli ferrei, sicque compulsus est unà nobiscum tam diu inclusus hærere, donec per cancellos ferreos, ab æditua nobis esset oblata securis, mihique ceu juniori viro tradita, ut eâ fores effringerem, quod equidem tunc conatus sum, & ad effectum perduxi: interea verò visu admirandum erat, ùt Lutherus, angoribus correptus, sursùm, deorsùm, cursitaret, atque instar ovis parturientis, huc illùcque se inverteret. Hæc Staphilus. In actis Lutheri Anno 1523. Cochlæus etiam scribit Nesenum in Albi miserè submersum, quem Lutherus variis immurmurationibus frustrà in vitam revocare tentavit. In hísque duobus facinoribus Lutheri, nullum nisi temeritatis & audaciæ prodigium spectatur. Quidam etiam Polychronius Prædicans, quendam Matthæum Colonum Pagi Biethagiensis Anno 1558. excitare voluit, cui persvaserat ut se mortuum fingeret, & revera mortuum effecit. ùt scribit Florimundus de Origine Hæresum Lib. 4. cap. 11. & Lindanus in Dubitantio. Erasmus in Diatribe contra Lutherum, etiam scribit: Nullus Lutheranorum adhuc exstitit, qui vel equum claudum sanare potuerit suâ fide.

Item resuscitationem Mortui.

Prædicans Novator ex vivo, mortuum effecit.

CA-

CAPUT IX.

ASsero 9. Lutheri Resolutiones variorum casuum de Baptismo, Confessione & Eucharistia, sunt admirandè erroneæ.

PRobatur. Nónne enim magnam admirationem apud quemvis prudentem Orthodoxum merentur Lutheri Resolutiones hæ?

Primò. Resolvit ille, quòd in defectu aquæ, possit licitè & validè, baptizari infans cerevisiâ vel lacte. Cùm enim ex Luthero quæsitum fuisset, an in defectu aquæ possit quis baptizari cerevisiâ vel lacte, cogitabundus diu hæsit; tandem (ùt refertur in Colloq: titul: de Baptismo) dixit. *Quidquid dici potest balneum, id etiam servit & aptum est ad Baptismum.* Ast quis neget, posse confici balneum ex vino & cerevisia, mulso, lacte, sanguine, & aliis liquoribus specie diversis ab aqua? Ergo poterit his liquoribus infans baptizari. Sed unde, oro, Luthero potestas immutandi à Christo institutam materiam baptismi fluminis, scilicet aquam? Cùm Christus expressè dicat, Joan: tertio: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Nónne pari temeritate dicere quis posset, loco vini ad consecrandum Sanguinem, posse substitui cerevisiam vel Lac?

Resolvit Lutherus erroneè Baptismum esse validum si adhibeatur cerevisia vel lac, loco aquæ.

Secundò. Ut habetur in Colloq: Mensal: titul: de Baptismo, Resolvit, si Mater, licèt peritissima ritûs baptizandi, in periculo mortis constitutum infantem baptizet in defectu Testium, si moriatur infans, non debet dubitare de veritate Baptismi, vel de Salute infantis. Si tamen infans, tali modo, licitè & validè, ùt supponitur, baptizatus, supervixerit. Nullum verbum Mater de hujusmodi Baptismate infanti collato facere debet; sed penitus silere, & postea

Rebaptizationem approbat.

infantem Christiano more & ritu ad baptisma publicum adferre, ut baptizetur absolutè. Nónne hæc Resolutio approbat rebaptizationem toties ab Ecclesia condemnatam?

Resolvit Infantes sinè Baptismo salvari.

Tertiò. Resolvit, (licèt antea in Libro de Captiv. Babyl. hanc quæstionem tractans, nihil ex suo sensu decidere voluerit,) quòd infans, qui necdum perfectè natus est, seu qui secundùm se totum necdum ex utero planè egressus, sed prominet, v. g. Capite: & periculum sit, nè antequam planè nascatur, moriatur, non debeat baptizari: quia homo quicunque baptizandus, totus primo debet esse natus, cùm Christus dicat: *Nisì quis natus fuerit.* Si tamen sic prominens moriatur absque baptismo, *non dubitandum est* (inquit Lutherus in Colloq: ubi suprà) *hujusmodi infantem à beatitudine non excidere: hac tamen Lege; ut qui intersunt, flectant genua, DEUMque precentur, ut infantulum illum passionis & mortis suæ participem efficere velit. Hac enim ratione Christo sistitur infans: & ab eodem in gratiam recipitur.* Quidquid sit de prima parte Resolutionis, quam falsam esse rectè censet communis consensus Doctorum, cum Divo Thoma Quæst: 68. a. 11. & praxis in Ecclesia DEI, nec Christus dixit Joannis 3. *Nisì quis natus.* Sed: *Nisì quis renatus fuerit denuo,* Id est: secundò per nativitatem Spiritualem, quæ Baptismô perficitur. Et licèt Christus dixisset, *Nisì quis natus:* Non dixit tamen. *Nisì quis perfectè plenè natus:* aliàs, infans in utero Matris demortuæ aperto, victitans, non deberet baptizari. Addit Lutherus pro sua Resolutione hanc etiam aliam rationem, verùm erroneam: scilicet, quia anima non est tota in qualibet parte, seu membro hominis.

Sed quidquid sit de primæ Patris Resolutione; secunda Pars omnino falsa est, Quis enim revelavit, talem infantem salvandum, cùm Christus dicat: *Nisì quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum DEI*; nec Ecclesia unquam

unquam agnoscit Baptismum, nisi fluminis, flaminis, & sanguinis. Rectè S. Augustinus lib. secundo de peccatorum meritis, cap. 27. scribit; *Noli, noli credere, noli dicere, noli docere, infantes, antequam baptizentur morte præventos, pervenire posse ad Originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus.*

Quartò. Casu quo, Judæus vellet baptizari, & fieri Christianus; præscribit modum baptizandi talem Tomo 1. Lat: Colloq: tit: de Judæis. *Si ad manus meas* (dicebat Lutherus) *pervenerit ad baptizandum Judæus: Ego illum quàm primùm post Baptismum, ducam in pontem Albis, & suspensâ illi molâ asinariâ, præcipitem dabo in fluvium.* Hic modus nec ab Apostolis, nec ab Ecclesia unquam practicatus est.

Judæum Baptizatum, mox submergendum esse.

Quintò. Resoluit, casu quo non adesset Prædicans, ut absolvat poenitentem à peccatis: tum quivis Christianus, etiam mulier posset licitè & validè absolvere. Imò & Judæus & Turca: imò & ipse dæmon, ùt visum suprà.

In defectu Prædicantis, posse validè fieri absolutionē à quolibet Christiano.

Sextò. Resolvit, in Colloq: tit. de Confessione auriculari, *In Confessione necessarium non est, ut omnia peccata enumerentur; sed quilibet, quidquid lubet, dicere potest.* Siccíne ad valetudinem recuperandam sufficit, si medico manifestes unum morbum, & alios reticeas? Resolvit itèm in Libro de Captiv: Babyl: consulendo, *Quidquid est circumstantiarum, penitùs contemnere.* Et in Colloq: ibi ubi suprà: dicit: *Qui confiteri vult, varias & multiplices differentias peccatorum & Circumstantias, debet omittere.*

In Confessione non debere omnia peccata recenseri.

Scribit ipse quidem Tomo 1. novorum operum Homilia de Confessione hæc. *Non patiar mihi ab ullo Confessionem auricularem eripi è manibus, nec pro totius mundi thesauro, eam darem alicui. Etenim scio, quantum roboris & consolationis illa mihi dederit. Nemo novit, quantarum virium sit auricularis Confessio, quàm, qui cum diabolo sæpe pugnare & luctari cogitur. Equidem à diabolo pridem victus & strangulatus essem; Nisi me isthæc auricula-*

rii Confessio servâsset incolumem. Sed à Confessione adeò truncata maximè si fiat coram Prædicante, posse conferri verè tam nobiles effectus, non credo Luthero id nudè asserenti.

In defectu Prædicantis, posse Eucharistiam confici à quolibet.

Septimò. Resolvit, quòd licitè & validè conficere possit, præsertim in defectu Prædicantis Eucharistiam, quivis Christianus, etiam mulier: imò ipse dæmon. vide suprà.

Licitum esse à Laicis manibus sumi Eucharistiam.

Resolvit itèm Tomo secundo Jen: German: in Tractatu de Communione sub utraque specie. *Nullum esse peccatum, si Eucharistia à Laicis, manibus tractetur, accipiatur, & sinè vestibus, vasis & calicibus consecratis, administretur; nec ullo jure id vetari posse Laicis.* Probátque hanc Resolutionem tali argumentô: *Laici, tangunt & accipiunt ore Laico. Ergo iisdem licebit, idem tangere & accipere manibus Laicis.*

Cur ergo Lutherus Anno 1521. in Concione sua quam habuit die Jovis post Dominicam *Invocavit*, gravissimè arguit Vitebergenses, quòd voluerint, ut Eucharistia manibus tangatur Laicorum? Directè Respondeo: Nego Consequentiam. Disparitas est; Quia primum Laicis non prohibuit Ecclesia, prohibuit secundum. Qui verò non audit Ecclesiam, is juxta effatum Christi, nobis est tanquam Ethnicus & Publicanus. Concedo tamen, diu in Ecclesia Christiana, Fidelibus Eucharistiam in manus datam fuisse: postea tamen decrevit Ecclesia, ratione periculi & reverentiæ majoris, ut in os daretur.

Item à nõ jejunis, etsi benè valentibus.

Octavò. In formula Missæ, Resolvit, Casu quo, quis etiam bene sanus & vegetus, licèt non jejunus, vellet Eucharistiam sumere, posse id licitè fieri, modò non sit ebrius, & distento ventre pigrescat. Ità enim scribit. *Sic de præparatione ad Cœnam hanc, sapimus; ut liberum sit jejunio se & orationibus componere. Sobrios certè oportet adesse & diligentes, ut maximè nihil jejunes, aut parùm ores. Sobrietatem verò dico, non illam Superstiosam Papistarum; sed nè crapula ructes & distento ventre*

ttre

tre pigrescas. Et in Colloq: titul: de Sacramento Altaris. *Quamvis jejunium nobis plus placet ad Reverentiam sumentis; nè ebriosi Germani post crapulam sinè omni reverentia accipiant: ùt Paulus Corinthios fecisse deplorat.* Et in Libro contra Regem Angliæ. *Apud nos non peccat, qui modestè ederit & biberit ante Communionem.* Sed apud Orthodoxos (*nisì in Lethali infirmitate sumat quis non jejunus Eucharistiam per modum Viatici,*) peccat. Nam Ecclesia id vetuit, quæ audienda est. Talísque fuit Ecclesiæ institutio atque consvetudo jam indè á temporibus Apostolorum: ùt docent Patres: ex quibus S. Augustinus ait: *Placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti, priùs in os Christiani Corpus Dominicum intret, quàm cæteri cibi. Nam ideo per universum orbem mos iste servatur.* Jam verò ùt in eadem Epistola 118. ad Januarium idem S. Augustinus dicit: *Si quid tota per Orbem terrarum frequentat Ecclesia, hoc quin ità faciendum sit, disputare insolentissimæ insaniæ est.* Certè S. Chrysostomus grande scelus esse credidit, si Eucharistia non jejunis daretur; unde cùm quidam calumniosè confixissent Chrysostomum non jejunis administrâsse Eucharistiam, respondit Epistola 3. ad Cyriacum. *Hoc si feci, expungatur nomen meum ex albo Episcoporum, & abjiciat me etiam Christus à Regno suo.*

Nonò. Resolvit, in quonam consistat Præparatio ad Sacram Eucharistiam vel Præparatio viæ Domini, resolvit inquam satis mirabiliter, dum ait in Postilla sua, Dominica quarta Adventûs: *Viam hanc paras non cum jejunas, oras, corpus proprium affligis aut aliis tuis operibus studes; id quod stulti Prædicatores, hoc tempore Adventûs, soliti sunt docere: sed cùm te penitissimè agnoveris, nempe inutilem esse peccatorem miserum; damnatum cum omnibus operibus tuis, & quidquid omnino poteris - etiamsi interim homo nihil, nisì vinum Creticum biberet & ingrederetur super rosas, neque verbô quidem oraret.* Hoc capite & sequenti con- *Mirabilē præscribit præparationem ad sumendam Eucharistiam.*

 tentæ

tentæ Resolutiones Lutheri, adeò erroneè portentosæ & imperitæ sunt; ut non immeritò videatur Lutherus, antequam ad eas scribendas accesserit, aliquoties exhausisse vinô Creticô, vel forti cerevisiâ Saxonicâ, plenum immane illud (de quo scribitur in Colloq: Mensal: Tit: de Miscellaneis) Poculum, cujus medietatem, nè semel quidem, licèt non infimæ clasis bibo, exhaurire poterat, Joannes Agricola Islebius.

CAPUT X.

ASsero decimo Lutheri Resolutiones etiam variorum aliorum casuum, præsertim de Matrimonio, sunt admirandè erroneæ.

PRobatur. Quis enim unquam à temporibus Apostolorum ex Orthodoxis Doctoribus resolvit sequentes casus, taliter ùt Lutherus? nam.

Resolvit Lutherus, Licitam esse Polygamiam simultaneam.

Primò. Resolvit ille: casu quo, Christianus aliquis vellet simul habere duas uxores non posse hoc ipsi vetari; esséque hoc ipsi liberum. In Explicatione enim capitis 16. Genes. Tomo 4. Jenen. German: Anno 1528. edito, scribit sic. *Prohibitum non est, ut vir non habeat plures uxores, quàm unam. Neque hodie hoc vetare possem.* Et suprà. *Quia Abraham habuit duas uxores, & alii etiam Sancti viri, longè plures. Certum autem est, omnia illa externa opera, quæ in Veteri Testamento antiqui Patres gesserunt, libera esse debere; non interdicta.* Hi textus non habentur in præfatis Explicationibus Libri Genesis impressis Anno 1555. & dicatis Principi Joanni Ernesto Duci Saxoniæ, à Vito Theodoro discipulo Lutheri: Sed habentur in impressis Tomo quarto Jenensi. Anno 1528. Fortè puduit Theodorum talis Resolutionis Lutheri.

Philippo Landgravio Hassiæ Principi Lutherano, simul duas

duas uxores concessit Lutherus, p[illegible] ob falsum quidem prætextum: ùt patet ex Resolutione Lutheri, data Vitebergæ, die Mercurii post Festum Sancti Nicolai An: 1539. cui Resolutioni subscripserunt etiam Melanthon, Bucerus, Lenincus & alii: Quare præfatus Princeps, Anno 1540. vivâ adhuc Christianâ Ducissâ Saxoniæ, primâ suâ legitimâ conjuge, contraxit matrimonium cum Margareta de Saal.

Secundò. Resolvit, quòd, casu quo, frater uxoratus moriatur sinè Liberis, non est prohibitum, ut frater superstes uxoratus actu, ducat uxorem Fratris sui defuncti, eo fine, ut fratri suo semen suscitet. Nec itèm prohibitum est juxta Lutherum, ut si quis uxoratus, filiam alicujus oppressit, ducat oppressam, & sic simul duas uxores habeat. Tomo enim primo Lat: Viteb: in Disputatione de Bigamia Episcoporum, in qua sunt propositiones 139. Propositio 65. & 66. est hæc. *Nota sunt jura Mosaica de fratris defuncti uxore, & de filia corrupta, invito Patre, quæ cogunt plurium esse uxorum virum. Quæ non magìs sunt abrogata, quàm reliqua omnia, id est libera, nec prohibita nec præcepta.*

Resolvit, si nolit uxor, veniat Ancilla.

Tertiò. Resolvit, si uxor, debitum non semper reddere vult, aliam uxorem accipiendam esse. Sic enim in Sermone de Matrimonio ait: *Reperiuntur itnterdum adeò pertinaces uxores, quæ etiamsi decies in libidinem prolaberetur maritus, pro sua duritia non curarent. Hìc opportunum est, ut Maritus dicat; si tu nolueris, alia volet; si domina nolit, adveniat ancilla: ità tamen ut antea iterum, ac tertiò uxorem admoneat maritus, & coram aliis etiam ejus duritiam detegat; ut publicè & ante conspectum Ecclesiæ duritia ejus & agnoscatur, & reprehendatur. Si tum renuat; repudia eam, & in vicem Vasthi, Esther surroga Assveri Regis exemplo.*

Itèm per impotentiam con-

Quartò. Resolvit, in eodem Sermone de Matrimonio: si maritus sit impotens, etiam impotentiâ consequente matrimo-

sequentē vinculum Matrimonii.

[illegible] hono- [illegible] famam obscurari nollet; *tunc* (inquit Lutherus) *Maritum debet compellare sic. Ecce mi Marite debitam mihi benevolentiam præstare non potes, méque & juvenile corpus decepisti: præterea in famæ & salutis meæ periculum me adduxisti, neque coram DEO inter nos Matrimonium est. Fave quæso, ut cum fratre tuo proximè tibi sanguine juncto, occultum matrimonium paciscar, sic ut tu nomen habeas, nè res tuæ in alienos hæredes perveniant; Ac sine, ut sponte tu à me decipiare, quemadmodum & tu præter voluntatem meam, imposuisti mihi. Maritus debet annuere his postulatis, & uxori debitam benevolentiam, spémque sobolis, eo pacto reddere. Quòd si nolit, tunc uxor clandestinâ fugâ, saluti suæ consulat, & in aliam profecta terram, alii etiam nubat.* Cur Luthere, coram Deo, matrimonium hoc nullum est, si impotentia consecuta est matrimonium? Utique etiam te ipso Judice in sermone de Matrimonio Tomo sexto Lat: Viteb: si alter conjugatorum morbô degravatus sit adeò, ut ejus ad rem nullus possit usus esse, matrimonium coram DEO verum est, nec sub periculo salutis æternæ potest sibi aliam matrimonii lege copulare.

Impedimentum Criminis, Cognationis, Ordinis, Disparitatis Cultûs, Voti Solennis Castitatis, è sensu Lutheri nugæ sũt.

Quintò. Loco citato resolvit quòd non obstantibus legibus Ecclesiæ, *Nullum crimen, aut flagitium, matrimonium impediat. Impedimentum, ortum ex cognatione Spirituali vel Legali, nugæ & figmenta sunt, nè teruntii quidem æstimanda. Impedimentum Ordinis merum est* (inquit in Lib. de Captiv: Babyl:) *hominum commentum.* Ulterius resolvit in sermone de Matrimonio Lutherus; *Ut cum Gentili, Judæo, Turca Hæretico, edere, bibere, in soporem me collocare, itineri accingi, mercari, loqui & agere possum: sic & cum iisdem Matrimonium contrahere possum nec stultarum Legum id vetantium, angâre curâ.* Docet itèm nullam esse Personam, cum qua, ob consanguinitatem, Matrimonium non possit iniri; præter illas, quæ Levitici 18. cap. numerantur.

Sextò.

Sextò. Ibidem Resolvit, si quis extra, vel intrà Coenobia, castitatem voverit, votum tuum nihil est, & cum DEO pugnat. Proinde rescindatur; Monasterium deseratur, & mox ad naturalem sociam, per Matrimonii Legem associatam, adjunctio fiat.

Resolvit licitum esse, Judaica Festa celebrare & circũcidi.

Septimò. Resolvit liberum esse Christiano Homini, Judaica Festa celebrare, & Sabbatum, locò Dominicæ vel unà cum Dominica celebrare: Itèm circumcidi. Ad suum enim Coapostatam Langum scripsit sic: *Mea sententia est, liberum esse Judicialia, sicut & cæremonialia Moysi servare, sicut & Philippus in suis locis sentit.*

Resolutiones dictæ convelluntur generaliter.

Sed universaliter huic sensui, & superioribus Resolutionibus admirandè erroneis, præter alia, è diametro opponitur: *Mos populi DEI, vel instituta Majorum, quæ pro Lege tenenda sunt*; ùt loquitur S. Augustinus Epist. 86. ad Casulanum. Itèm tam admirandè erroneæ Lutheri Doctrinæ in hoc præsertim tertio Tractatu expositæ, opponitur universa *Ecclesia DEI vivi, columna & firmamentum Veritatis* 1. Timoth. 3.

Quænam vera Christi Ecclesia?

Porrò, hæc Ecclesia, non est alia, nisi Catholica Apostolica Romana, de qua S. Irenæus, Antiquissimus & Doctissimus Patrum, Episcopúsque Lugdunensis Lib. 3. adversus Hæreses cap. 3. scribit hæc. *Sed quoniam valde longum est in hoc tali Volumine, omnium Ecclesiarum enumerare Successiones, maximè & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, à Gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis traditionem & annuntiatam hominibus fidem, confundimus omnes eos, qui quoquomodo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter principaliorem Principatum, necesse est, omnem convenire Ecclesiam, in qua semper ab iis, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis, traditio. Hæc est Ecclesia illa* (ùt scribit S. Hieronymus adversus Ruffinum) *quæ semper immaculata permansit & Domino providente, ac Beato Apostolo ferente opem, in futuro manebit. Est* (ùt Scribit idem

P S. Do-

S. Doctor Epistola 57. ad Damasum Papam,) *Domus illa, extrà quam quicunque Agnum comederit, profanus est. Est illa Arca Noë, in qua, si quis non fuerit, regnante diluvio peribit.* Hæc est, *in qua* (ùt inquit, Epist: 162. Divus Augustinus, & Lib. 1. cap. 2. contra Epist: Parmeniani. Itèm in Psalmo contra Partem Donati) *semper viguit Apostolicæ Cathedræ Principatus. Cui totus Orbis Christianus in transmarinis, & longè remotis Terris subjectus est. Hæc ipsa est Petra, quam non vincunt inferorum portæ.* In Hac Ecclesia (ùt idem Sanctissimus Doctor contra Epistolam Fundamenti Capite 4. dicit:) *Tenet nos Consensus Populorum atque Gentium; tenet Auctoritas, miraculis inchoata, Spe nutrita; Charitate aucta, Vetustate,* (& tot Martyrum sanguine) *fundata: Tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas Oves suas post resurrectionem Dominus comendavit, usque ad præsentem Episcopum* (Clementem XI.) *Successio Sacerdotum. Tenet ipsum Catholicæ Nomen, quod non sinè causa inter tam multas Hæreses; sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cùm omnes Hæretici, se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur? nullus Hæreticorum, vel Basilicam suam, vel domum, audeat ostendere.*

A qua Ecclesia Catholica aberrantes, utinam ad eam celeriter reducat Pastor ille bonus, qui Animam suam posuit pro Ovibas suis, *Christus, qui est super omnia Deus Benedictus in sæcula.* ad Rom. 9. v. 5. *Amen.*

INDEX

INDEX
Rerum notabilium quæ in hoc libro continentur.

A.

B.

C.

D.

E.

F.

H.

I.

L.

tifices.

M.

P.

A. M. D. G.

ERRATA SIC
Corrige.

Pag. 6.	*lin.* 5. à fine	*pro* thesſ:	*lege:*	theſi.
8.	3. à fine	Asfero, -		Aſsero.
11.	2. à fine	Bohemiæ, -		Bohemicæ.
14.	4. à fine	indictionibus, -		in dictionibus.
23.	3. à fine	obſidientis,		obſidentis.
32.	10.	Linquis, -		Linguis.
37.	13.	impelerit, -		impulerit.
45.	8.	exſcindendæ, -		exſcindendæ,
-	-	abolendæ, -		atque abolendæ.
46.	13.	infide, -		in fide.
52.	3.	ità repurgatam,		ità repurgatam,
	-	illuſtratam. -		ità illuſtratam.
53.	10.	peſt mortem, -		poſt mortem.
66.	3. à fine	ſcri itur, -		ſcribitur.
67.	13.	ut accederem, -		ut non accederem.
70.	6. à fine	ſe-i -		ſe -
ibid.	5. à fine	Fili, -		Filii.
71.	4.	armenia -		Armenia.
72.	12.	Pſychopannichia, -		pſychopannychia.
75.	3.	juxta,		juſta.
77.	18.	affintate, -		affinitate.
82.	13. à fine	verus, -		veros.

Pag. 84 *lin.* 6.		*pro* conniquinatum,	*lege*, coinquinatum.
87.	14. à fine	eos idololatras, -	eos esse idololatras.
91.	3.	& suprà, -	ùt suprà.
94.	11.	apellârunt, -	appellârunt.
99.	14.	consumaverit, -	consummaverit.
101.	17.	irratam, -	irritam.
107.	2.	sib. -	lib.
114.	10. à fine	comendavit, -	commendavit.
eãdem	lineâ	Clementem XII.	Clementem XI.
ibid.	2. à fine	Ovibas, -	Ovibus.